1. *Feltria*] oppidum Venetorum proxime Alpes Rhaeticas, quod hodieque Feltrie appellatur. Mannert. Italia T. I. p. 95.

rigore] *rigori* Oudendorpius.

2. *Terra*] Pith. Scriverius. *forte* vulgo.

71.

Anth. II. 47. Ex Scholiasta Lucani ad l. VII, 726. „*Duobus vitiis Pompeius laborabat: nam et favoribus multum gaudebat, ut in primo ipse Lucanus, et vitio superbiae quodammodo tangebatur. Nam uno digito caput scalpebat, quod est superbiae indicium. Unde Martialis de eo in epigrammate* etc. Duos errores Scholiasten commisisse

tradunt viri docti, unum, quod Martiali hoc epigramma tribuit. Seneca enim C. Licinii Calvi esse testatur in Controv. lib. III. controv. 19. p. 257: *Carmina quoque Calvi, quamvis ioca sint, plena sunt ingentis animi. Dicit de Pompeio:*

digito caput uno
Scalpit. Quid credas hunc sibi velle? Virum.

Alter illius error esse dicitur, quod ex memoria et falso quidem epigrammatis verba citet. Scaliger enim pro illis

Magnus, quem metuunt homines

aliud supplementum ex Ammiano Marcellino XVII, 11., ubi de obtrectatoribus Pompeii agitur, exploravit:

Fasciola qui crura ligat, digito caput uno
scalpit. Quid credas hunc sibi velle? Virum.

Ac Scaligeri coniecturam Scholiastae auctoritate probabiliorem multo esse, nuper Weichertius quoque in Poet. l. Rel. p. 133. affirmavit.

1. *omnes*] *homines* Scholiasta.

72.

Anth. II. 58. ex Suetonii Caes. 49. Conf. Weichert. Poet. lat. Rel. p. 131.

73.

Anth. II. 257. Hi hendecasyllabi apud Suetonium de illustr. grammat. c. 11. leguntur. — Valerius Cato mala ratione vivendi praedia perdidit. Furius poeta causam paupertatis eius dissimulans admirabili Catonem uti sapientia dicit, qui quondam pulchram domum et egregios possederit hortos, nunc mutato consilio omni cultu abstineat, tenui contentus victu. Haec interpretatio cum sequenti in eundem Catonem epigrammate consentire videtur. Aliter iudicavit Weichertius in Poet. l. Rel. p. 358., qui versum quintum de intellectu artium Catonis accipit dicens: *Catonis hortulus quamvis exiguus plurimis ornatus erat Priapi simulacris, quem artis statuariae amorem et scientiam miratur Bibaculus in homine tam paupere.* Non video sane, quomodo is, qui Priapos habet, ob artis studium laudari possit: Priapi enim numquam a veteribus inter artis monumenta enumerantur, ii praesertim, qui in hortis volucrum causa poni solebant, sed munera sunt lasciviae, et is, qui in museo multos habet Priapos, non pro artifice vel aestimatore artium, sed pro lascivo homine haberetur.

1. *forte — Catonis*] *fere — catotini* ms. Sillig. in Iahn. Ann. 1828.
2. *minio*] *nimio assilus et cylios* ib.
3. *custodis v. hortulos Priapi*] mss. *ortalosque lapi* ms. Sillígii. *Hortuli* non maius sonant, quam si *hortum* dixisset. Conf. Baumg. Cr. — *custodes v. hortuli Priapos* Scalig. F. A. Wolf. Weichert. vulgo. „*Custodis Priapi* dicitur pro *custode Priapo*, et in ipso hoc genitivo inest lepos." — Baumgart.

4. *miretur*] mss. Paris. Voss. Heins. Oudend. Wolf. *miratur* vulgo.

6. *quem*] i. e. ut eum. — *qua celibrua calculus et tros furis* ms. Sill.

tres] *sex* citat Bentl. ad Horat. Serm. I. 4, 110.

7. *racemi*] a iambo incipit hendecasyllabus.

tegula] de paupertino tegurio dicitur. B. ad Petron. IV, 7. 22.

sub una] *sub uda* i. e. quae perpluebat H.

8. *senectam*] *senectas* ms. Sill.

74.

Anth. II. 238. ex Sueton. de ill. gramm. c. 11. Conf. Weichert. Po. lat. Reliq. p. 358. Versus hendecasyllabi.

1. *Catonis*] *ecironis* ms. Sillig.

modo] nuper.

3. *unicum*] *unum* ib.

4. *optimum*] *optimumque* ib.

5. *omnis*] ib. *omnes* vulgo.

6. *deficere*] Toupius ad Suidam T. III. p. 174. Ruhnk. ad Rutil. p. 132. *difficile* vulgo. Weichertio Toupii emendatio non prorsus satisfacit.

7. *en cor*] *en cor enoccatis en lecum Catetis* ms. Sill.

Zenodoti] v. Wolf. in Prolegom. ad Hom. §. 43.

iecur Cratetis] laudatur a Probo in Institutt. grammat. T. I. p. 130. Lind.

Cratetis] v. Wolf. in Proleg. ad Hom. §. 51.

75.

Anth. II. 240. Conf. Weichertii Po. l. Rel. p. 359. Verisimile est, hos quoque versus ex hendecasyllabis Furii Bibaculi sumtos esse, etsi Suetonius de ill. grammat. c. 11. auctoris nomen non adiecit.

2. *solus*] *solos* vulgo.

legit ac facit] praelegendis seu interpretandis poetis ipsos auditores poetas reddit. F. A. Wolf.

76.

Anth. II. 251. Isidorus Orig. l. VI. c. 12. de conficiendis libris p. 132. ed. Basil. 1572.

1. *Arateis*] *Arataeis* vulgo.

2. *movimus*] Cinna amico carmina sua astronomica mittere se dicit. Hanc lectionem tuentur Pithoeus, B., Wakef. ad Lucret. III, 1057, Ruhnkenius in Praef. ad Schellerum s. v. *numerus*: „*Numeri* pro astronomia ponuntur. *Numeros moventes astra* ap. Lucan. I, 640. intellige astronomiam, quae astrorum motus ad calculos vocat, eorum motus tradit. De hoc loquendi genere, quo quis facere dicitur, quod factum narrat, pulcherrima est animadversio Hemsterhusii ad Thom. Mag. p. 187. Ex eadem ratione explicandus est Ovidius Fast. III, 112., item Cinna *carmina*,

quis ignes movimus aerios. Neutro loco interpretes vim verbi *movere* satis coperunt." — Peerlkampius in Obss. Anacreonticis p. 161. *movimus* explicat: *astrorum motus, ortus et occasus, cantavimus. novimus* edd. Isidori et ipsa novissima Lindemanni, prob. Weichertio Poet. lat. Rel. p. 197.

aetherios] ms. Grotii, Weichert. *aerios* vulgo. Wakefield.

4. *munera*] *munere* Hand. ad Gronovii Diatr. Statian. p. 196.

77.

Anth. II. 57. Wernsd. Poet. T. IV. p. 587. Prius distichon habemus in Scholiasta Persii II, 36. *Alii volunt Licinum tonsorem ac libertum Augusti Caesaris significari praedivitem, cuius monumentum est pretiosi operis via Salaria prope urbem ad lapidem secundum. De hoc non invenustum Varronis epigramma fertur:*

Marmoreo Licinus tumulo iacet: at Cato parvo;
Pompeius nullo. credimus esse deos?

Porro in Scholiasta Cruquiano ad Horat. A. Poet. 301. *Licino nomen tonsoris famati, qui postea dicitur factus senator a Caesare, quod odisset Pompeium, de quo hoc scriptum est epitaphium:*

Marmoreo tumulo Licinus iacet, at Cato nullo,
Pompeius parvo: quis putet esse deos?

Varroni Atacino epigramma tribuerunt interpretes, non M. Terentio Varroni Reatino, utpote iuniori poetae, quia in libertum Augusti hoc epitaphium est factum, si Scholiastae Persii fides erit habenda. Sed verior esse videtur alterius Scholiastae observatio. Hic Iulium Caesarem, non Augustum intelligit, ita ut in epigrammate Cato atque Pompeius adversarii Iulii Caesaris, acerbissimo appellentur. At in neutrum eorum versus fecisse Varronem Atacinum arbitratur Fr. Wüllnerus in Commentatione de P. Varrone Atacino (Monasterii 1829). Hunc enim poëtam iam ante a. u. 717, a. 37 ante Christum diem obiisse verisimile esse dicit. Cum deinde alius liber Varronis, qui inscribitur *Bellum Sequanicum*, indicet, Varronem inter Caesaris partes fuisse, non Pompeianum, nullam rationem esse putat, cur in Caesaris amicum eum scripsisse credamus. Quare, cum alter codex Scholiastae Persii Tironi, non Varroni, hoc distichon inscribat, hanc lectionem praetulit Wüllnerus. Tironem autem, Ciceronis libertum, usque ad Ol. 193, 4. vixisse, ex Hieronymo scimus.

1. *Licinus tumulo*] *tumulo Licinus* Sch. Horatii. Licinum nomen fuisse tonsoris divitis, hic versus docet, itaque in Iuvenalis Sat. I, 109. et XIV, 306. idem Licinus, non Licinius, ut Ruperti explicat, intelligendus est, et in Senecae Ep. 119 et 120. nomen corrigi debet.

Cato nullo; P. parvo] Schol. Horatii. mss. Voss. et Scaligeri, et ex ceteris Pompeii epitaphiis constat, nactum eum esse tumulum parvum. *at Cato parvo, Pompeius nullo* vulgo. *Marmoreo Licinus tumulo tegitur, Cato parvo: Pompeius nullo. Creditis esse deos?* Casaubon. Add. T. II. p. 716.

2. *quis putet*] Schol. Horatii, mg. Pithoei. *credimus esse deos?* Schol. Persii, vulgo.

5. *saxa*] hoc distichon priori adnexum legitur in Catal. Petronii a Bineto editis et apud Grangaeum ad Iuvenal. I, 109., nec a Varrone proficisci, sed recens esse demonstravit Wüllnerus.

78.

Anth. V. 48 et 49. Opus Varronis Atacini, ex quo hi versus supersunt, *Chorographia* appellatur vel *Varronis Iter*. Prior inscriptio extat apud Priscianum T. I. p. 122. Krehl., quamquam Krehlius *Varro in Orthographia* edidit, et in ms. Zwiccav. *Varro in Cosmographia* legitur, cui lectioni Fr. Wüllnerus magis favet quam alteri *Chorographiae*. Krehlius ipse *Orthographiam* pro bona scriptura habuisse videtur, cum alio quoque loco eandem inscriptionem tueatur, p. 277., ubi dicit, „*Cicero in Orthographia*. Putschius *Chorographia*. Ego lectionem edd. retinendam censui. *Orthographia* enim idem significat, quod *chorographia*." — Altera inscriptio, *Varronis Iter*, in Licentii carmine ad Augustinum (Wernsd. Poet. lat. T. III. p. 420.) invenitur, qui primis sui carminis versibus partem argumenti, quod Chorographia continebat, exponit.

Arcanum Varronis iter scrutando profundi
mens hebet, adversamque fugit conterrita lucem.
Nec mirum: iacet omnis enim mea cura legendi,
te non dante manum, et consurgere sola veretur.
Nam simul ut perplexa viri compendia tanti
volvere suasit amor sacrosque attingere sensus,
queis numerum dedit ille tonis mundumque Tonanti
disseruit canere et pariles agitare choreas:
implicuit varia nostrum caligine pectus,
induxitque animo rerum violentia nubem.
Inde figurarum positas in pulvere formas
posco amens, aliasque graves offendo tenebras;
ad summam astrorum causas clarosque meatus,
obscuros quorum ille situs per nubila monstrat.
Sic iacui nutans.

Ex hoc loco apparet, carmen Varronis obscurissimum fuisse, et in descriptione totius mundi, cum terrestris, tum coelestis, versatum esse, vel geographiam coeli atque terrarum continere. Poetae geographi graeci simile argumentum iam prius tractaverant. Atque Bernhardy observat ad Dionys. Perieget. p. 521., Varronem Chorographiam suam ad Eratosthenis Mercurium et Geographica composuisse. Plinius vero maior hoc opus Varronis in usum suum convertisse videtur, ut ex indice auctorum libri tertii et quarti constat, ubi Varro Atacinus citatur. Memoriam Varronis Atacini adumbravit Ruhnkenius in Epist. crit. p. 199., postea Wernsdorfius fragmenta illius poetae collegit in Poet. lat. T. IV. p.

559—588; nuper a Fr. Wüllnero commentatio egregia de eodem viro seorsum edita est.

1—5. apud Marium Victorinum Art. gramm. p. 2503.

1. *Vidit*] Varronem descriptionem suam mundi sic instituisse putat Wernsd., ut aliquem sive deum, sive hominem divinitus edoctum, fortasse Pythagoram, omnes siderum orbes terrasque lustrantem de iisque disserentem induceret. Talis ergo speculator ad *vidit* intelligendus est. At fortasse Mercurius enarrator miraculorum coeli in carmine Varroniano fuit, si id, quod Bernhardy ad Dionys. Perieg. pag. 521. adnotavit, Varronem carmen suum ad Eratosthenis Mercurium composuisse (ut modo dixi), verum est. In poemate enim Eratosthenis, quod Mercurius inscriptus est, Mercurius coelum ascendisse, ibique sonos astrorum musicos fuisse admiratus narratur, tum stellas constituisse, tum menses primum instituisse et pervidisse siderum cursus, ut Bernhardy in Eratosthenicis p. 110. scribit. Cum deinde idem vir doctus l. l. p. 149. suspicetur, in Hygini fabula 177. quattuor versus ex Eratosthenis Mercurio, in latinum sermonem conversos, afferri

Tuque Lycaoniae mutatae semine (semina) Nymphae,
quam gelido raptam de vertice Nonacrinae
Oceano prohibet semper se tingere Tethys,
ausa suae quod sit quondam succumbere alumnae,

non abhorrere videtur a veritate, si quis coniiciat, hos versus ex Varronis Chorographia esse sumptos.

4. *laetitia est: at tum*] Rutgers. Lectt. Ven. c. 3. I. Tollius, Gerh. Vossius, Wüllnerus. Conf. B. ad Luxor. 41. *laetitia est: et tum* Wernsd. ad Licentii carmen vs. 7. in Poet. lat. T. III. p. 421. *laetitia stat: tum* ap. M. Victor. Scal. Graevius.

6—9. in Opp. Bedae T. II. De temporum ratione, in Glossis ad cap. 32. pag. 133. ed. Hervagian. a. 1563. de zonis Varro ita dicit:

Et quinque aetherius zonis accingitur orbis,
ac vastant imas hyemes mediamque caloris:
sic terrae extremas inter mediamque coluntur,
quam solis valido numquam ut auferat igne.

Porro in Salemonis episcopi Constanciensis glossario s. v. *zona*, et apud Isidorum de nat. rerum c. 10.

6. *et quinque*] *at quinque* vulgo, Isidor. *a quinque* Salem.

aetherius] Isidorus, Beda, Pithoeus prob. B. Add. T. II. p. 697. *aetheriis* vulgo.

accingitur] *incingitur* Tollius.

7. *ac vastant*] *at vastant* ex Bedae edit. Colon. a. 1617. citatur.

9. *qua solis*] *quam solis valido nunquam vis auxerat igne* Isidorus. *quam solis valido numquam vis auferat igne* Pithoeus. *quam solis valido numquam adserat ignes* Salemonis Glossar. Legendum est: *quas solis valido numquam vis atterat igne.* Scaligeri enim lectio, quae in contextu legitur, nimis a mss. discedit. Wüllnerus tres coniecturas

proponit: *qua solis valido numquam aestu ferveat ignis* aut *quas solis valido numquam aestu torreat ignis* aut *quas solis valido numquam ardore atterat ignis.*

10—12. ap. Priscianum T. I. p. 122. Kr.

10. *et sidera*] *ac sidera* vulgo.

12. *Oceani — Neptuno*] mare, quod totum terrae orbem ambit, Oceanus dicitur, mare vero internum sive mediterraneum Neptunus. Cf. Vossius ad Catullum p. 76. Nec aliter Graeci πόντον opponunt τῷ Ὠκεανῷ. Dionys. Perieget. v. 1. ibique Bernhardy p. 521. Oceanus et Neptunus diversa sunt numina variasque provincias curant. Aliter Wakef. ad Lucret. V, 36., qui corrigit:

Exporrecta iacet tellus: huic extima fluctu
Oceano interior Neptuni cingitur ora.

„Nihil verius. Libri *Oceani* et *Neptuno.*" — Non liquet.

13. ap. Priscian. T. I. p. 327. Krehl. et Charisium p. 45 et *111. Pnt.*

cingitur] *clauditur* vulgo. Ad *cingitur* intelligitur *Africa* a Burmanno. Inter 12 et 13 versum fragmentum novi versus vulgo legitur *Qu .... Europa ..*, quod omisi, cum nullum eius vestigium sit relictum in Krehlii editione.

14—17. Cum Scaliger locum non indicasset, unde hos versus excerpserat, nec Burmannus, nec Wernsdorfius eum invenire poterant. Neque Wüllnero explorare eos contigit. Quod causa fuit, cur indignos eos Varrone, eique abiudicandos esse diceret. Sed nescio an temere indicarit. Versus enim, licet corrupti, pulcherrimi sunt. Quid multa? Hi quattuor versus in Maittairii Corpore Poetarum p. 1483. atque in Collectione Pisaurensi (T. IV. p. 308.) inter Pacuvii fragmenta leguntur.

Omnivomo oceano Hyperion fulgurat euro,
Arrepto plaustro Boreas bacchatur aheno,
Hesperio Zephyro. sed Orion volvitur austro;
Fulvo acrique noto vaga Cynthia proruit atro.

In Collectione Pisaurensi additur, hos versus ex Diomedis libro III. excerptos esse. Ecce, quomodo in edit. Putschii pag. 498. prorsus aliter scribuntur:

Vocales sunt versus, qui alte producta locutione sonantibus litteris universam dictionem illustrant, ut est ***Illum Paconia***

non meo oceano Hyperion fulgurat Euro,
Arcto plaustro Boreas bacchatur rheno
Hesperio Zephyro Orion volvitur austro.
Fulva aretonio vaga cynthia proruit austro.

Hic locus praesens auxilium Lindemanni exspectat. Interim coniicere licet, Scaligerum, sive ingenio sive codicibus fretum, hos versus Varroni Atacino vindicasse.

14. *omnivomo*] *omnivago* B.

Oceano Hyperion] ultima primae vocis non eliditur, quod facilius ferri potest, quia voce *Oceano* sententia claudi videtur.

15. *Arctaeo pl.*] *Arctoo pl.* B. *Actaeo* Wernsd. Bootem enim Icarium esse Atheniensem dicit; ut *Actaeus niteat qua luce Bootes* in Valer. Flacco II, 68.

Haemo] B. *Aeno* vulgo. Conf. Valer. Fl. II, 515. [Pro *bambatur* hoc in v., quod ex errore typogr. natum est, lege *bacchatur.*]

16. *Hesperio*] *Hesperio Zephyron* (um) *sed Orion volvit ab astro.* B.

17. *fulvo*] *furvo* vel *udo* B.

18 — 20. leguntur apud Isidorum Origg. XVII, 7. p. 419. ed. Basil. 1577. Burmannus haec fragmenta non addidit, verum Wernsdorfius.

Indica non — minor] Scaliger ad Propertium p. 256. ed. Commel. Ruhnkenius Epist. crit. II. p. 200. — *Indica non magnum* (*magna* margo) *in arbore crescit arundo* Isidorus Basil. *Indica non magna minus arbore crescit arundo* Vossius, Wernsdorf. *Indica non magna nimis arbore cr. a.* Arevalus, Lindemannus. — De potu dulci, qui ex radicibus calamorum Indicorum premitur, quos alii cum arundine saccharina confuderunt, multos locos congessit Bernhardy ad Dionys. Perieg. v. 1127.

19. *illius e*] *illius et* Isidorus Basil. Sed Arevalus et Lind. *e* dant.

20. *contendere*] Vossius. *concedere* Isid. Basil. et ipsa novissima editio. *Dulci qui nequeat succo concedere mellis* Wernsdorfius.

21. Adieci hoc hemistichium ex Festo v. *tutum* p. 301. ed. 1593. *Tutum frequenter dicitur maxime. Varro in Europa: Tutum sub sede fuissent.* Nam huius carminis partes Europam (Gellius N. A. X, 7.), Asiam (Charisius p. 144. citat *Varronem in Asia*), Libyam fuisse arbitror, quod Ruhnkenius quoque in Epist. Crit. II. p. 200. intelligere videtur. — *Tutum* pro *tuto* dictum.

22. Philargyrius ad Virg. Georg. III, 175. citat *Varro Atacinus: Feta feris Libye*, quod ex chorographia Africae sumtum putat Wernsdorfius. Aliter Ruhnk., qui his verbis locum in libris de Argonautis assignat.

23. ap. Servium ad Virg. Ge. II, 404. Sed, ex quo sit libro versus decerptus, incertum est. Wüllnerus elegiis Varronis inseruit.

24 — 30. ap. Servium ad Virg. Ge. I, 375. Hos versus primus in Chorographia collocavit Wüllnerus, quem secutus sum. Cum enim ex Diosemiis Arati 209 — 211 et 222 — 225 in latinum sermonem conversi sint, coniecerat Ruhnkenius in Epist. Crit. p. 200, Arati quoque carmen Varronem latino interpretatum esse, ac seorsum edidisse. Id verum esse negat Wüllnerus. Wernsdorfius autem ex libro Varronis, quem *libros Navales* inscripserit, eos sumtos dicit. Sed haec quoque opinio a Wüllnero impugnatur, qui Varronem Atacinum carmen sub illo nomine edidisse negat, librumque, cui erat index *libri navales*, prosaico sermone compositum, et ab altero Varrone Reatino scriptum censet.

79.

Anth. II. 213. ex Schol. Horat. Cruquiano ad Epist. I. 1, 67. p. 511.

Pupii] *Puppii* vulgo. *Pupium*, non *Puppium* esse scribendum Bentleius docuit ad Hor. Epist. I. 1, 67. Pupius poeta Augusteo aevo

visit, ut A. Langius in Vindiciis trag. rom. p. 8. demonstrat et Weichert. in Poet. lat. Reliq. p. 276.

1. *mortem meam*] *morte in mea* vulgo, quod aptum est sequenti *in me vivo.*

2. *nam populus*] *nam populus etiam vivo me lacrumatus est* vulgo.

80.

Anth. III. 247. ex Martialis Epigr. lib. XI, 21.

1. *Glaphyren*] Glaphyre, scortum celeberrimum, de quo Dio Cassius XLIX, 32.

Antonius] triumvir.

2. *Fulvia*] uxor Antonii.

3. *si se*] *si me* ed. Schrevel.

Manius] procurator Antonii, Augusti adversarius acerrimus. Conf. Appian. B. Civ. V, 19. Rutgers. Var. Lectt. p. 177.

5. *quid, si*] *quid, quod* ed. Schrevel.

vita — ipsa] ablativi sunt. Mentula potior mihi est quam ipsa vita. Sic pugnae periculum atque mortem sustinere malo quam te futuere!

6. *signa canant*] i. e. incipiamus proelium, da signum pugnae. B. interpretatur *signa receptui canant*, quod vere inprobat Ouwens. in Noctt. Haganis p. 201.

81.

Anth. I. 55. Versus Galliambicos servavit Diomedes p. 514. et Atilius Fortunatianus p. 277.

1. *ades, inquit*] Santenius ad Terentianum p. 380. — *Ades huc, ades Cybebe, dea montigena dea* vulgo. *Ades, inquit, o Cybelle, fera montium dea* Bothius Poet. Scen. T. V. P. I. p. 273. — Naek. in Sched. Crit. p. 23: *Ades, inquit, o Cybele fera montium dea.*

Cybebe] *Cybele* ms. Heinsii, quod falsum est, ut Santenius p. 379. docet; nam, ubicumque secunda huius vocis producenda est, scribitur *Cybebe*. Grotius referente Perlkampio in Biblioth. crit. nova T. IV. p. 175. emendavit:

Ades, inquit, o Cybelle, fera, montivaga dea.

2. *ades et*] Santen. ad Terentian. p. 381. et Both. l. l. — *age tympano sonanti quate flex. caput* vulgo. Grotius ibidem adnotavit: „legendum est *Ades et sonante tympano*, imo *typano;* nam pro iambo est tribrachys ante incisionem. Sic apud Catullum *Typanum tubam Cybelle.*" — Wakef. ad Lucret. II, 618. legit:

Ades huc, ades, Cybebe dea, montigena dea;
age, tympano tonanti quate flexibile caput.

Conf. Nobbius de versu Galliambico.

82.

Anth. II. 224. Isidorus Origg. XIX, 32. ed. 1577. p. 479. *Tinius purus est, primum in Bithinia fabricatus, quam olim tinam vocabant. Flaccus: Lugente mea vita, nec smaragdos berillosque mi Flacce, nec nitentes per candida margaritas quaero, nec cortinalis (quos Tinica lima* margo) *me perpolibit anulus nec Iaspius capillus.* In aliis quoque edd. Isidori corrupte hi hendecasyllabi leguntur, et extant coniecturae de his versibus virorum doctorum XV, quas legas apud B.; maioris carminis ad Horatium absentem scripti fragmentum esse B. adnotavit.

1. *Lucentes, mea*] Elegi eam recensionem, quae proxime a mss. decedit: neque ea nova est, in Arevali enim editione eamdem legi video, quam Lindemannus quoque secutus est.

Lugent, o mea vita, te zmaragdus,
Beryllus quoque, Flacce, nec nitentes
Nuper, candida margarita, quaero,
Nec, quos Thynica lima perpolivit
Anellos nec iaspios lapillos.

vulgo. Walperga in Prooemio *ad Epistolam Horatii* p. 4. Douzae emendationem horum versuum, qui in omnibus cum recepta convenit, nisi quod in primo versu *lugens te, mea* legit, a mss. Taurinensibus confirmari dicit. Ipse pro *lugens te* legit *legens te* i. e. versus tuos, totumque carmen falso Maecenati tribui putat. Ac revera, si quaeres, quis hos hendecasyllabos ei tribuerit, invenies, non ab Isidoro, verum ab editoribus tantum Catalectorum id esse factum. Sed conveniunt quam maxime eius ingenio et moribus, ac simillimi sunt iis, qui proxime sequuntur.

83.

Anth. II. 225. ex Suetonii Vita Horatii. Cf. Vossius de Poet. Lat. p. 21.

2. *plus iam*] *iam plus* vulgo.

3. *hinnulo*] *Ninnio* vulgo. „Nisi nomen hominis latet, malim *Mulo me vid. str.*" Baumg.

84.

Anth. III. 149. ex Senecae epist. 101. Versus Priapeii, quos recepi ex Santenio ad Terentian. p. 370. Maecenas parieti sacelli in hortis Esquilinis Priapei hos versus inscripsit.

2. *tuber adstrue gibberum*] *tuberi adstrue gibberem* Heins. Santen. *gibberum* extans et eminens interpretatur Nonius p. 452.

4. *si sedeam*] *non erat propter originem et indolem Priapei dactylicam, quod dactylus prima ultimi versus sede Lipsium offenderet.* Santen.

vixit, ut A. Langius in Vindiciis trag. rom. p. 8. demonstrat et Weichert. in Poet. lat. Reliq. p. 276.

1. *mortem meam*] *morte in mea* vulgo, quod aptum est sequenti *in me vivo.*

2. *nam populus*] *nam populus etiam vivo me lacrumatus est* vulgo.

80.

Anth. III. 247. ex Martialis Epigr. lib. XI, 21.

1. *Glaphyren*] Glaphyre, scortum celeberrimum, de quo Dio Cassius XLIX, 32.

Antonius] triumvir.

2. *Fulvia*] uxor Antonii.

3. *si se*] *si me* ed. Schrevel.

Manius] procurator Antonii, Augusti adversarius acerrimus. Conf. Appian. B. Civ. V, 19. Rutgers. Var. Lectt. p. 177.

5. *quid, si*] *quid, quod* ed. Schrevel.

vita — ipsa] ablativi sunt. Mentula potior mihi est quam ipsa vita. Sic pugnae periculum atque mortem sustinere malo quam te futuere!

6. *signa canant*] i. e. incipiamus proelium, da signum pugnae. B. interpretatur *signa receptui canant*, quod vere inprobat Ouwens. in Noctt. Haganis p. 201.

81.

Anth. I. 53. Versus Galliambicos servavit Diomedes p. 514. et Atilius Fortunatianus p. 277.

1. *ades, inquit*] Santenius ad Terentianum p. 380. — *Ades huc, ades Cybebe, dea montigena dea* vulgo. *Ades, inquit, o Cybelle, fera montium dea* Bothius Poet. Scen. T. V. P. I. p. 273. — Naek. in Sched. Crit. p. 23: *Ades, inquit, o Cybele fera montium dea.*

Cybebe] *Cybele* ms. Heinsii, quod falsum est, ut Santenius p. 379. docet; nam, ubicumque secunda huius vocis producenda est, scribitur *Cybebe*. Grotius referente Perlkampio in Biblioth. crit. nova T. IV. p. 175. emendavit:

Ades, inquit, o Cybelle, fera, montivaga dea.

2. *ades et*] Santen. ad Terentian. p. 381. et Both. l. l. — *age tympano sonanti quate flex. caput* vulgo. Grotius ibidem adnotavit: „legendum est *Ades et sonante tympano*, imo *typano*; nam pro iambo est tribrachys ante incisionem. Sic apud Catullum *Typanum tubam Cybelle.*“ — Wakef. ad Lucret. II, 618. legit:

Ades huc, ades, Cybebe dea, montigena dea;
age, tympano tonanti quate flexibile caput.

Conf. Nobbius de versu Galliambico.

82.

Anth. II. 224. Isidorus Origg. XIX, 32. ed. 1577. p. 479. *Tinius purus est, primum in Bithinia fabricatus, quam olim tinam vocabant. Flaccus: Lugente mea vita, nec smaragdos berillosque mi Flacce, nec nitentes per candida margaritas quaero, nec cortinalis (quos Tinica lima margo) me perpolibit anulus nec Iaspius capillus.* In aliis quoque edd. Isidori corrupte hi hendecasyllabi leguntur, et extant coniecturae de his versibus virorum doctorum XV, quas legas apud B.; maioris carminis ad Horatium absentem scripti fragmentum esse B. aduotavit.

1. *Lucentes, mea*] Elegi eam recensionem, quae proxime a mss. decedit: neque ea nova est, in Arevali enim editione eamdem legi video, quam Lindemannus quoque secutus est.

Lugent, o mea vita, te zmaragdus,
Beryllus quoque, Flacce, nec nitentes
Nuper, candida margarita, quaero,
Nec, quos Thynica lima perpolivit
Anellos nec ïaspios lapillos.

vulgo. Walperga in Prooemio *ad Epistolam Horatii* p. 4. Douzae emendationem horum versuum, qui in omnibus cum recepta convenit, nisi quod in primo versu *lugens te, mea* legit, a mss. Taurinensibus confirmari dicit. Ipse pro *lugens te* legit *legens te* i. e. versus tuos, totumque carmen falso Maecenati tribui putat. Ac revera, si quaeres, quis hos hendecasyllabos ei tribuerit, invenies, non ab Isidoro, verum ab editoribus tantum Catalectorum id esse factum. Sed conveniunt quam maxime eius ingenio et moribus, ac simillimi sunt iis, qui proxime sequuntur.

83.

Anth. II. 225. ex Suetonii Vita Horatii. Cf. Vossius de Poet. Lat. p. 21.

2. *plus iam*] *iam plus* vulgo.

3. *hinnulo*] *Ninnio* vulgo. „Nisi nomen hominis latet, malim *Mulo me vid. str.*" Baumg.

84.

Anth. III. 149. ex Senecae epist. 101. Versus Priapeii, quos recepi ex Santenio ad Terentian. p. 370. Maecenas parieti sacelli in hortis Esquilinis Priapei hos versus inscripsit.

2. *tuber adstrue gibberum*] *tuberi adstrue gibberem* Heins. Santen. *gibberum* externs et eminens interpretatur Nonius p. 452.

4. *si sedeam*] *non erat propter originem et indolem Priapei dactylicam, quod dactylus prima ultimi versus sede Lipsium offenderet.* Santen.

4. *natio*] *vario* ms. Voss.

6. *curarum*] *tuarum* ms. Voss.

9. *Syronis*] *Sironis* ms. Voss. *Scironis* vulgo.

10. *vindicabimus*] *vindicamus* ms. Voss.

11. *vos q. lim. saevae*] corruptum. *Ite hinc camenae vos limite sene* ms. Voss. *ite hinc Camoenae. nam nos quoque limite saevae* ms. ap. B. *Ite hinc Camoenae, vosque nam mihi laevae* vel *saevae* Oudend. *Ite h. C., limine ite vos actae* Fiedlerus in Iahn. Ann. 1831. F. II. p. 201. *I. h. C., vos quoque ite suaves* Waguerus (quod retractavit in Add. p. 600.). *Ite hinc, Camenae, vos item, leves, ite* V. D.

13. *et tamen*] *et in meas* ms. Voss.

91.

Anth. III. 142.

1. *Arretine*] *arietine* ms. Voss. *Surrentine* Schraderus Add. T. II. p. 740. *Abietine* ms. Thu. 8071.

decorate] i. e. in magno honore fuisti, dum in abaco patrum eras. *mensis decor ante paternis* Scal.

2. *ante manum medici*] Gronov. *ante man medici* ms. *Ante Maii medici* vulgo. *ante manus medici* ms. Thuan. 8069 et 8071. Antequam medici manus te attigit, salvus eras.

92.

Anth. III. 248. ex Catalectis Virgilii.

1. *scilicet*] *si licet* ms. Voss.

2. *putus*] inest quaedam lasciviae et obscaenitatis notio, quae in *puero*, etsi hoc vocabulum idem proprie significat, abest.

3. *praecepta*] i. e. artis metricae: *putus* enim *prima longa* dicitur. Conf. Weichert. Poet. lat. Reliq. p. 119.

93.

Anth. III. 249. ex Catalectis Virgilii. Virgilio a Niebuhrio quoque vindicatur in Hist. Rom. T. I. p. 204.

1. *Syronis*] *Sironis* ms. Voss. *Scironis* vulgo.

2. *tum quoque*] Schrader. Emendat. p. 32. *tu quoque* vulgo. *sic quoque* B. ad T. I. p. 368.

4. *tristius*] *tritius* ms. Voss.

5. *commendo*] *commendo primisque patrem. tu eris illi M. q. f. quodve C. p.* ms. Voss.

94.

Anth. III. 250. ex Catalectis Virgilii.

1. *Delia*] *Delia saepe tibi venit, sed, Tucca, videre*
Non licet. occulitur limine clausa viri.
Delia saepe tibi venit, neque adhuc mihi. namque
Si occulitur, longe est, tangere quod nequeas.

Scaliger. *Venerit aut iam ium tibi: sed mihi nuncius iste*
Quid prodest? illi dicito, quae rediit.

De qua Tucca tibi venit, sed saepe videre

— —

vulgo. *De qua saepe tibi* etc.

95.

Anth. III. 268. In codice Huydecoperiano titulus est *Virgilii de Octaviano versus.* Legitur inter Ausonii epigrammata p. 68. In ms. Thuaneo et Regio Colbertino C. Iulio Caesari tribuitur. (Conf. Seebod. Archiv 1824. p. 594.)

1. *dum dubitat natura*] *dum natura marem dubitat faceretne puellam* ms. Voss. in Add. T. I. p. 748.

2. *natus es*] mss. Salm. Voss. Thuan. uterque Reg. Colbert. *factus es* vulgo.

96.

Anth. III. 270. In cod. Salmasiano Virgilio tribuitur.

1. *tibi*] *ubi* ms. Thuan. n. 8069.

Bacchi] *bacci* ms. Salm.

97.

Recepi epigramma ex Donati Vita Virgilii c. 7. *Poeticam puer adhuc auspicatus, in Balistam ludi [gladiatorii] magistrum, ob infamiam latrociniorum coopertum lapidibus, distichon fecit.* Cur vocab. *gladiatorii* interpolatum esse putem, ex Phocae Vita Virgilii vs. 41. apparet: *Tum Ballista rudem lingua titubante receptum Instituit primum, quem nox armabat, in umbris Grassari solitum: crimen doctrina tegebat. Mox patefacta viri pressa est audacia saxis. Incidit titulum iuvenis, quo pignora vatis Edidit. Auspiciis suffecit poena magistri.*

98.

Anth. II. 198. ex Donati Vita Virgilii c. 14. V. Münter Nachrichten von Neapel und Sicil. p. 41. Morgenstern Reise in Italien T. I. p. 110—115. — In ms. Thuaneo inscribitur *Epitaphium Virgilii, quod sibi ipse moriens fecerat.*

99.

Anth. III. 143.

2. *quod cogitur*] non liquet. *Quod iuvat est dulce quod cogit alta mors est* ms. Thuan. 8069. — In Thuan. 8071. vulgata extat.

100.

Anth. II. 123. ex Catalectis Virgilii. — In Pompeium Magnum aut in Mithridatem regem dictum epigramma putat Scaliger; in Mithrida

Ruhnkenius ad Velleium II. 18, 3. p. 127.; in Alexandrum Magnum Oudendorpius; in Antonium Langius apud Wagnerum; Wagnerus ipse amplius deliberandum censet.

1. *valido*] *video* ms. Voss.

2. *coeli*] *regni* ms. Voss.

3. *terrarum hic bello*] *terrore hic belli* Ruhnk.

magnum] *Magnus* i. e. Pompeius B.

4. *hic populos*] ms. Voss. *et populos* vulgo.

5. *servitium iam iam tibi, R.*] ms. Voss. Ruhnk. *servitium tibi iam tibi, Roma* vulgo et Wagner.

7. *certamine*] *conamine* vel *molimine* B.

9. *Deum*] ms. Voss. *Deae* vulgo.

tali — nutu] tali arbitrio.

10. *dedit*] *premit* Ruhnk.; conf. adnot. Wagneri.

101.

Anth. II. 124. ex Catalectis Virgilii. Heynius Antonium Musam, non medicum illum Augusti, sed rhetorem intelligit; Andreas Schottus autem et medicum et rhetorem unum eumdemque esse coniicit in libro de claris apud Senecam rhetoribus p. 414. Opp. Senecae a. 1628.

2. *tangere*] *pangere* ms. Voss.

5. *cui Venus*] *convenit* ms. Voss.

ante alios, divi] legendum vel *ante alios divos* vel *ante alios divum*, ita ut Venus et Gratiae omnia dedisse Antonio Musae dicantur.

6. *Musa*] *multa* ms. Voss.

7. *Phoebus, chorus i. Phoebi*] *Phoebi chorus ipseque Phoebus* Scalig. Wagner.

10. *Clio tam*] Casaubon. *Clio nam* vulgo. *Pitho* Fiedler.

12. *contra ut sit*] Conf. Hand. Tursellin. T. II. p. 111. „gesetzt auch, dass du meine Liebe darum nicht erwiederst.

102.

Anth. II. 130. ex Catalectis Virgilii. Parodia est Catulliani carminis quarti, ac sub nomine Sabini Ventidius Bassus, qui ex mulione consul factus est extrema parte anni 711., intelligitur. In eumdem aliud epigramma in Anth. II. 129. legitur.

6. *et hoc negat*] ex Catullo recepi. *neque hoc negat* vulgo.

Tryphonis-Caeruli] Trypho et Caerulus nomina mulionum.

8. *Quintio*] submulionem se ante fuisse ait Quintii nescio cuius. — *equitio* H.

9. *adtotonse*] i. e. adtotondisse. Livineius, Wagner. *adtondisse* vulgo, metro invito, quia secunda brevis esse debet. *adtodisse* Scal.

bidente — forcipe] *forfice* Heynius (tacente Wagnero). Conf. Böttigeri librum, quem inscripsit: Die Sabinerinn T. I. p. 312., ubi *forceps* et *forfex* idem esse vocabulum docet. „Die Alten bedienten sich

da, wo wir Scheeren gebrauchen, nur eines scharfen Messers. Es ist selbst von der Kritik noch sehr unentschieden, ob nicht das Wort forfex, forficula, welches eigentlich nur nach der Autorität des Servius für unsere Scheeren gesetzt wird, nicht eine bloss verschiedene Aussprache des ursprünglichen forceps (das heisst foriceps, ein Herausnehmer. S. Lenneps Etymologie. p. 1206.) forcipula gewesen sey. Je älter und besser die Handschriften sind, desto häufiger findet man überall das ältere Wort forceps anstatt der spätern Leseart forfex. S. Heinse zu Ovids Met. VI, 555. und Oudendorp zum Sueton. S. 292. Ich behaupte daher, dass eigentlich alles, was sie forfex und forficula nannten, nur von Zangen und Zwickeisen zu verstehen sey, so sehr sich auch der gelehrte Rhodius ad Scribon. c. 55. p. 93. Mühe gegeben hat, diess genau zu unterscheiden. Daher wird forfex auch vom Pelikan oder dem Instrument, womit die Zähne ausgenommen werden, von den Alten gebraucht." Haec observatio Böttigeri docet, mutandam non fuisse librorum lectionem.

10. *ne qua sordidum*] *ne quis iorion* mss. Voss. „Iungendum *dura qua iuba*" Wagner. ad Virg. A. I, 8.

14. *ultima ex origine Tua*] *ultima ex origine. Tua* vulgo. Mutavi distinctionem Catullo suasore.

16. *deposisse*] i. e. deposivisse. Scal. Wagner. *deposuisse* vulgo.

17. *orbitosa millia*] i. e. milliaria: vias orbitosas intelligit. Sic Gesnerus in Thes.

18. *iugum tulisse*] i. e. mularum partes suscepisse, si una alterave defessa erat. De subiecto infinitivorum *stetisse*, *deposisse*, *tulisse* dubitatur: sed comparatio Catulliani carminis, ubi in paribus versibus *phaselus* subiectum est, docet, hic quoque *Sabinum* intelligendum esse. Wagnerus vero haec omnia non ad ipsum Sabinum, sed repetito ex vs. 19. subiecto ad mulas eius referenda esse dixit. Id nimis quaesitum esse videtur, nec quisquam ad v. 14. *ultima ex origine tua stetisse dicit* aliud subiectum nisi Sabinum intelligere potest, praesertim cum *mula* in praecedentibus versibus non memoretur.

laeva — mula] Scal. Salmas. ad Solin. p. 40. Schraderus in Emendatt. p. XXXVI. *iugum tulisse: laeva, sive dextera Strigare mulas, sive utrumque coeperat* vulgo.

19. *strigare*] i. e. interquiescere, quod in striga castrorum equi faciunt. Strigare vel quiescere vel lassum defectumque esse significat. Phaedr. Fab. III. 6, 9. *Nam ubi strigandum et ubi currendum sit, scio.*

sive utrumque coeperat] Nansius atque Wagnerus optime senserunt, excidisse post v. 19. versiculum: lacunam enim Catulliani versus produnt:

et inde tot per impotentia freta
herum tulisse, laeva sive dextera
vocaret aura, sive utrumque Iupiter
simul secundus incidisset in pedem.

Sensus eius versus, qui deest, hic fere est: Sive laeva vel dextera mula defatigari, sive utraque a mala pesti invadi coeperat. Nansius supplevit *sive utrumque coeperat, Et haec et illa conquiescere in latus*, Wagnerus *sive utrimque coeperat Pari citata currere impetu viam*. Ii vero, qui causam lacunae perspicere negabunt, leviorem medicinam adhibere malent, coniecturam Salmasii ad Solin. p. 40. amplectendo

sive utrimque coeperat.

22. *praeter*] Salm. *propter* vulgo.

23. *paterna lora*] Sabinus, antequam magistratum curulem capiebat, lora a patre accepta et pectinem, mulionis utensilia, diis vovit.

proximumque] i. e. „iuxta lora suspensum, eodem pariete." Wagner. *buxinumque* Heins.

26. *Castor*] Castor et Pollux numismatum consularium insignia sunt.

103.

Anth. II. 244. ex Catalectis Virgilii.

1. *Socer*] cui nomen Atilius, ut ex epigr. sequenti patet.

alteri] i. e. genero suo.

2. *putidum*] *impudicum* ms. Voss.

3. *tuone*] Scalig. Wagner. *tuoque* vulgo.

ah! tuo] Oudend. *heu tuo* Scal. *et tuo* vulgo.

4. *stupore*] stupor pro homine stupido. Catull. XVIII, 21. *talis ille meus stupor nihil videt, nihil audit.*

pressa] i. e. fututa.

abibit] *rus habitet mihi* ms. Voss.

Hei mihi!] H. Scal. Wagner. *et mihi* vulgo.

5. *pertinet*] *percinat* mss. Voss. *personat* Tollius.

6. *gener*] Catullus enim XXVII, 25. dixit:

Bone nomine imperator unice
Socer generque perdidistis omnia.

Ideo Spengelius (Archiv v. Seebode 1828. F. IV. p. 114.) hic quoque *socer generque* correxit inprobante Wagnero.

104.

Anth. II. 245. ex Catalectis Virgilii.

1. *putidum*] *repuditum* ms. Voss.

5. *Atilium*] eumdem a Suetonio Aug. 86. memorari, ubi Annii Cimbri mentio fit, Tristanus putabat. Hanc opinionem omni fide carere, demonstrat Huschkius De C. Annio Cimbro p. 14.

8. *herneam*] „hernea vel hirnea, quae vasis potorii genus est, pro ipso patre vinolento ponitur, et genero pro altera coniuge et filia Atilii assignatur." Heyn. Conf. Schneider. ad Caton. de Re rust. c. 81.

9. *Thalassio*] *Thalassio*, *Thalasso* ms. Voss. Correxit B. versum ex Mario Victorino A. Gr. III. p. 2585. „Facit versum iambicum trimetrum tam *Simonides* quam *negotio*, repetitum ter, haud alias quam

aiunt fecisse Virgilium nostrum iambico epigrammate *Thalassio Thalassio Thalassio.*"

105.

Anth. II. 246. ex Catalectis Virgilii. Iambici senarii et quaternarii, quo metro decem priores Epodon Horatii sunt compositi. *Lucium Camerium*, in quem Catullus carmen 53., quod ex hendecasyllabis contra leges grammaticorum pugnantibus constat, scripsit, Achilles Statius intelligit.

1. *iacere*] i. e. animo deiectum esse B.

possum] edd. Vicent. Brix. Venet. Wagner. *possim* vulgo.

2. *vectari freta*] ut mare navigare, das Meer befahren. *vectari in freta* Oudend.

3. *aut aestum*] *nec aestum* mss. *aestum nec* Oudend., quod praefero, si in nullo codice *aut* legitur.

5. *mihi ira*] *mihi re* edd. antt. *mihi irae* B.

6. *adsiem*] Wagnerus antique pro *adsim*, quod vulgo legitur metro obstante. *qua sat sim* Scal. *qua iam adsim* Oudend. *quis adsim* Iahnius.

7. *et prostitutae*] valet contubernium i. e. memoria violatae sororis recentissima est. *et prestite turpe contubernium sororis quid me incitas* ms. Voss. *hei prostitutae* Scriv. *en prost.* H.

10. *sed furta*] *Caesaris sed furtim* ms. Voss. *si furta* Scriv.

11. *helluato*] *levato* ms. Voss.

14. *udaeque*] *utque* ms. Voss. mox *clamatum insuper.*

17. *femina*] *feminam* vocat cinaedum. *Quid palluisti? feminane an loci dolent?* I. Douza, quod in Add. T. II. p. 728. corrigendum putat B. *Quid palluisti? femina an loci dolent?* ipse metri inscius: *femina* enim sive *femora* primam brevem habet. Sed tota emendatio repudiari debet.

19. *non me vocabis*] „Enarraverat is, in quem haec scripta sunt, ut videtur, quae poeta commiserat pudenda; at foediora hic illi exprobrat. Quod cum ita efferat *Non me vocabis* etc., acrius eum urit sugillatque, ea, quae ille sibi obiecerat, comparans cum illius flagitiis multo taetrioribus." Wagner. *nonne vocabis* ms. Voss.

Cotyttia] De Cotyttiis et de toto hoc loco scripsit Lobeckius in Dissert. *De Cotyttiis* 1828. Regiomonti, quae *Aglaophamo* quoque inserta est.

21. *in crocotula*] Oudend. Lobeck. l. l. p. 11. Wagner. *in crocotulam* vulgo.

Movere lumbos nec dein, crocotulae
Prensis videbo alaribus.

Scal.

23. *flavumque propter Thybrim ol.*] ms. Helmst. Douza, Wagner. *propter* dat etiam ms. Rehdig. *flavum prope Thybrim et olentis nauticum* vulgo, metro obstante, quia *prope* ex duabus brevibus constat.

flavum prope et Thybrim te olentes nauticum Oudend. Non videbo invitantem te nautas in ora Tiberina, ubi lasciva nautarum gaudia (ludi Tiberini) celebrabantur, ut te paedicent.

28. *duces*] ms. Voss. B. *ducis* Scalig. *Dapesque Ditis luridas* B. Add. T. II. p. 728.

29. *quibus* etc.] *Quibus repletus ut salivosis aquis*
Os usque lambis saviis
Et aestuantes nocte solvi pantices
Obesam ad uxorem redis.

Scal. *quibus repletus, ut salivosis sacris!* Wagner. i. e. lautissimis pontificum epulis; hinc illa saliva. — *aquae salivosae* i. e. saliva (das Mundwasser), quae praesente lauto convivio esurienti movetur.

31. *nocte solvis*] i. e. solvis nocte ventris onus. *nocte* dat Scal. Wagner. *dente* Eldick. Add. T. II. p. 728. *docte* vulgo, quod in metrum peccat. *dote* ms. Voss.

32. *olusque lambis*] Colvius, Wagner. *ossusque labiscanus* ms. Voss. *hossusque* ms. Rehdig. *os usque lambis* vulgo.

34. *et*] *en* Scriv. B. conf. Anth. III. 153. *Quisquis es — et nomen dicam: color omnia cogit!*

35. *an*] *en* Scriv.

36. *genuini*] scil. dentes. Die Backenzähne.

39. *herniosi*] herniosus aut pro vinolento ponitur, ut in epigr. praecedenti *hernea* vel *erneum*, aut pro eo, qui herniam patitur (der an einem Bruch leidet).

106.

Anth. II. 122. ex Catalectis Virgilii. Wernsd. Po. lat. T. II. p. 200. Virgilio vindicat Schraderus in Emendatt. p. XXXIII., sed Wagnerus eius esse negat. Assentitur Medenbach Wakker. in Amoen. litt. p. 20. Equidem eidem auctori eam tribuo, qui elegias de Maecenate moribundo scripsit. Nihil similius umquam vidi.

5. *victor*] *victoria est magni: magnum decus ecce triumpho* ms. Voss.

6. *Oenides*] *Eonides* ms. Voss.

7. *nostros*] *doctos* Wagner.

15. *carmina, quae Pylium*] in ms. Helmst. hic versus deest. *carmina, quae nimium* Langius ap. Wagn. Repetitionem eiusdem hemistichii in hoc auctore ferendam puto, praesertim cum in ipso hoc carmine multa similia legantur. In v. 1. *Pauca mihi — Pauca mihi.* 3. *Victor — Victor.* 21. *Certatim ornabant — divae — Certatim divae.* 39. *praemia — praemia.* 57. *ipsa — ipsa.* Hae repetitiones in elegiis quoque de Maecenate creberrimae sunt.

21. *heroida*] Sulpiciam, Servii Sulpicii oratoris filiam.
divae] *divi* B. Heyn.

23. *alias*] *alios* ms. Voss.

24. *altera* etc.] Munckerus ad Hyginum fab. 185. Wagnerus. *alter non famam dixerit ipse prior* vulgo.

29. *diu volucrum*] *diu multum certamine* ms. Voss.

30. *Graiae quam*] *gravidae quod* ms. Voss.

31. *inpius*] *ipsius* ms. Voss.

32. *Eleis*] *similis* ms. Voss.

34. *inmitti expertae*] Scal. Wagn. *inmitti exspectant* vulgo.

35. *cuius et ob raptum*] *non ocius raptum pulsi* ed. Veneta. *non ab aviis raptum* ms. Voss. An legendum *non cuius ob raptum* vel *non ob cuius raptum*, ita ut *cuius* monosyllabum sit? i. e. non illa, cuius ob violationem etc.

44. *tam procul*] Wagn. pro toto versu alium desiderat, ut *tam procul ignoto bella ciere solo. — Tam procul amotos, tam procul a patria* Langius ap. Wagn.

45. *iam frigora, iamque*] *iam sidera iamque calores* ms. Voss. *nunc frigora, nuncque calores* vulgo.

46. *stertere*] *sternere* ms. Voss. „id non spernendum fortasse, ita *sterni* absolute ap. Plin. Epist. VII. 27, 7. *ubi coepit advesperascere, iubet sterni sibi in prima domus parte.*" Wagn. Ac profecto *stertere* aliquid inepti habere videtur.

48. *saepe mare audendo*] Broukhusius, Schrader. in Emendat. p. 33. vulgo. *saepe audendo mari* ms. Voss. De *o* gerundii v. Ramsh. Lat. Gr. p. 1046.

50. *non meminisse*] ms. Helmstad. *non monuisse* ms. Voss. *nec timuisse* vulgo. Conf. Propert. I. 12, 16. *Communis nec meminisse deos.*

51. *perituraque*] *periuria* ms. Voss. *periure* ms. Helmst. *perituraque millia, gentes.* B. *periuraeque ultima gentis* Oudend. Nunc Messalae Afros bello petunt, cuius gentis millia peritura sunt.

59. *nos ea*] i. e. nos carmina Messalae attingere conabimur.

61. *si laudes*] i. e. si laudes carminum tuorum aemuler.

humili sit adire] i. e. liceat humili carmine laudibus me adiungere Messalae poetae. Nec aliter legendum monuit Barthius. *humili licet utar avena* Wagner. *si laudem adspirarem, humilis sed audire cyrenas* ms. Helmst. [In context. lege *sit* pro *sed*.]

Nosne ea, quae tecum finxerunt carmina Divi
Cynthius, etc.
Si laudem adspirare humili licet arte Camenae,
Si patrio Graios promere ab ore sales
Possumus; optatis etc.

Oudend. Add. T. II. p. 723.

Si laudes adspirem, humili sit adire Camenas:
Sin patrio Graios carmine habere sales
Possumus, —

Med. Wakker. Amoen. litt. p. 20.

107.

Anth. III. 293. Carmen venustissimum; nuper editum a Silligio in T. IV. Virgilii Wagneriani. Conf. Wernsdorf. Po. lat. T. I. p. 648.

1. *Syrisca*] *Syrissa* Ilgen. Est nomen servae, ut *Syrus* servum significat.

4. *calamos*] i. e. crotala.

5. *abesse*] in itinere esse; draussen auf der Strasse seyn.

6. *quam potum*] Ilgen. Sillig. *quid potum viduo* ms. Gudii. *quam potius* vulgo.

7. *obbae*] H. Ilgen. Sillig. *sunt cuppae*, *calices* vulgo. *sunt topia et calybae*, *cyathi* Scalig. Wernsd.

8. *trichila*] pergula.

11. *defusa*] mss. Voss. Petav. Scal. Ilgen. Sillig. Stern ad Gratium v. 474. — *diffusa* vulgo.

12. *est crepitans*] ms. Gud. Ilgen. Sillig. *est strepitans* vulgo.

13. *sunt et Corycio iunctae*] B. Sillig. *sunt et Cecropio iunctae* (*vinctae* ms. Gud.) *de flore coronae* mss. Voss. Leid. *sunt etiam croceo violae de flore corollae* vulgo.

15. *sunt et*] mss. Voss. Leid. Sillig. *et quae virgineo* vulgo.

16. *quae niveis*] ms. Voss. Sillig. *lilia vimineis* vulgo.

17. *scirpea*] ms. Leid. Sillig. *iuncea* vulgo.

18. *autumnalis — deae*] mss. Voss. Leid. Gud. Sillig. *autumnali — die* vulgo.

22. *et pendens*] ms. Helmstad. *est p.* vulgo. Hoc distichon praecedenti praeponendum esse, concinnitas postulat.

25. *huic Cybelista* etc.] Sillig. i. e. „*Gallus ad Priapum venit hac cum prece: asellus quam maxime fessus amplius ire nequit. Coactus sum hac in caupona devertere, quod non nisi timidus facio, gnarus tibi, Priape, asinum omnium invisissimum esse animal.*“ — Huc *Alibida veni: fessus iam sudat asellus: Parce illi, vestrum delicium est asinus* vulgo. v. B. ad T. II. p. 372.

33. *formosus t. decerpens*] Sillig. ex ms. Gud. *candida formosae decerpes* vulgo.

37. *pereat — curat*] Sillig. Ilgen. ex mss. *pereant — curant* vulgo.

108.

Anth. T. II. p. 649. Inscribitur in ms. Petav. *Virgilii Maronis Dirae*, in ms. Thuan. Voss. *Dirae Maronis*, in ms. Mediceo *P. Virgilii Maronis Dirarum liber*. In Donati Vita Virgilii atque in Servii praefatione ad Aeneidem tribuuntur Virgilio Dirae. Scaliger vero, quem postea omnes sunt secuti, Valerio Catoni, grammatico, cuius vitam breviter Suetonius descripsit, vindicat. Naekius, Putschius, C. Fr. Hermannus totum hoc fragmentum in duo carmina diviserunt, quorum alterum a v. 104. incipit. Dedi recensionem Putschii.

7. *fient — avend*] Putsch. ex mss. *fuerit — avena* vulgo. Displicet Putschii lectio. *multa prius, fiet quam non mea libera avena* Weber.

9. *inpia. Trinacriae*] vulgo abest interpunctio.

vobis] *nobis* vulgo.

13. *fontes*] *montes* vulgo. Displicet P. lectio.

20. *hinc*] *haec* vulgo.

21. *quae pingunt verna*] *quae pingit avena* vulgo.

22. *spiritus! Agri*] *spiritus agri* vulgo.

26. *lusibus*] *ludimus* vulgo.

28. *tonderis*] *tondemus* vulgo. *tondebis* Web.

30. *carmen, militis*] *carmen. Militis* vulgo.

31. *succidet*] *succedet* vulgo.

32. *umbrae. Formosior*] *umbrae, formosior* v.

35. *flagrabit*] *flagrabunt* v.

37. *Threcis*] *Thracis* v.

41. *non iterum*] *noscet iter, ducens Erebo tua Lydia Ditis* v. Displicet P. lectio.

44. *arb. coni. et ardor*] *arboribus, coniungat et arbor* v.

45. *pertica qua*] *p. quae* v.

48. *vestris*] *vitreis* Heins.

52. *pastus I. ign.*] *pastor I. i.* v.

53. *Libye*] *Libycae* v.

63. *haec, N., tuas in f.*] *si minus, heu, Neptune, tuis infundimus aris* v.

65. *semper flumina*] *flumina semper* v.

66. *merito omnia dicis*] *merita omnia, dixi* v.

69. *rimantibus*] *remeantibus* v.

75. *dicit*] *dicat* v.

76. *fumantes*] *spumantes* v.

78. *queis domini* etc.] *queis dominis infesta minantes stagna relinquant* v. Scaliger coniecit:

Qui dominis infesta minantes stagna relinquant. et sic Weber. Sed v. 79. non liquet.

82. *praetorum*] *pratorum* v.

88. *campis nec abire*] *campos nec adire* v. *campos audire licebit* mss. Naek. Web.

103. *licebit*] *iuvabit* v.

105. *quod*] *quo* v.

106. *nostrum*] *vestrum* v.

133. *dolorem*] *dolore* v.

140. *fuisti*] *fuisset* v.

143. *excurrunt? Atqui*] *excurrens, atque* v. *inque vicem Phoebi currunt, atque* Web.

144. *tui*] *tua* v.

147. *et quem* etc.] *Phoebe gerens in te laurus celebravit amorem,*
Et quem pompa deum non silvis fama locuta est.
v. *Phoebe recens in te laurus celebravit amorem;*
Et quae pompa deum (nisi silvis fama locuta est)
Omnia vos nostis, secum sua gaudia gestat,
Aut inspersa m. videt. Web.

148. *omnia coelestes* etc.] *Omnia vos estis: secum sua gaudia gestat* v.

149. *vident*] *videt* v.

157. *vittam*] *vitam* v.

158. *nexae*] *noxae* v.

164. *fata*] *vota* v.

169. *et, quocum*] *et mecum* v. *et quicum* Naek. Web.

170. *quoties super*] *quos insuper* v.

171. *Cypria*] *candida* v.

174. *turpabat malas*] *turpabatque mala fuligine barbam* v.

177. *aurea proles*] *aurea promo* v.

181. *pro sera*] *et sera* v.

182. *fata — partis*] *Tanta meae vitae cordis f. r.* v.

109.

Anth. II. 119. Ms. Voss. inscribit: *Incipit Maecenas Virgilii*, ms. Petri Servii: *Maecenas Maronis.* Pedoni Albinovano vindicabat Scaliger, Meibomius, Meinekius. Scholastici alicuius poetae carmen esse, iudicavit Burmannus uterque, Wernsdorfius in Poet. lat. T. II. p. 177., Weichert. in Poet. lat. Reliq. p. 449. Thesis scholastica est de Maecenate. Sententiae abruptae, sermo contortus, mera declamatio. Simillima est haec elegia Pentadii carminibus, quod inde a v. 95—102. maxime patet.

1. *iuvenis*] nescio cuius.

3. *enim — et iam*] ms. Scalig. *deflendus erat tam candidus et tam* vulgo. *deflendus enim t. c. et tam* Wernsd. Maecenas aeque atque iuvenis deflendus est, quippe dignus, qui avo suo superstes esset.

4. *avo*] avum maternum et paternum Maecenatis Horatius laudat in Serm. I. 6, 3. Conf. Müller. Die Etrusker T. I. p. 416.

5. *ratis, n. d. carina*] navem Charontis designat more umbratico. Quare dubito, an emendandus sit locus, ut multi volunt. *ratis n. d. rapinis* Oudend. *ratis n. d. carinis* ms. Voss. *irreligata vadis numquam defessa carina* Piersonus Add. T. II. p. 719. *irreligata navis numquam defessa Charontis* Cannegieter. Add. ibidem. *ratis numquam defessa Charontis* Iacobs. Spec. Emend. p. 74. *ratis, numquam defessa rapina* H.

6. *it*] *et* mss. Serv. et Voss. *it redit inmensos semper onusta lacus* Piersonus.

8. *rapit sed tamen*] legendum cum B.- Wernsd. *non oblita tamen sed rapit usque senes. — non oblita tamen sed repetitque senes* ms.

Scalig. et Leid. et Serv. (ni fallor). *non oblita tamen*; *sed repetit et senex* ms. Voss. *non oblita tamen subripit usque senes* Scriverius. *non oppleta rapit sed tamen illa senes* Cannegieter. *non oblita tamen subripit atque senes* Scalig.

9. *usus amici*] i. e. usus amicitiae. — *usus amicus* i. e. familiaris usus Oudend. *usus: amici Lollius hoc ergo* Eldick. Add. T. II. p. 719., „ut *ergo* pro caussa, gratia accipiatür, et sensus sit: *in amici sui Maecenatis gratiam Lollius hoc carmen a me impetravit.*"

10. *Lollius*] M. Lollius Palicanus. B.

11. *vobis*] ms. Scal. i. e. tibi et Caesari. *fidus eras nobis* ms. Serv. bini Vossiani. *fidus eram nobis* Meinek. i. e. Lollio et Maecenati, quia Caesarianus eram et vos quoque eratis Caesariani. — *fidus erat nobis* vulgo.

12. *similem*] *fidem* ms. Leid. a 1m.

13. *Etrusce, genus*] ms. Scalig. Voss. *Etruscae* ms. Voss. alt.

regis eras genus Etrusci: tu Caesaris almi
dextera, Romanae tu vigil u. eras.

vulgo.

almi] *alti* H.

14. *et tu*] ms. Voss., qui dat *dextra Romanae et tu.* deest *et* vulgo.

vigil urbis] ut v. 27. *custos urbis*, i. e. praefectus urbis. Ruhnk. ad Vellei. p. 391. l. II. 98.

16. *posse*] mss. Wernsd. *velle* vulgo.

17. *docta — artes*] *doctas — artes* mss. Serv. Voss.

20. *litore in extremo*] *litore Erythraeo quas humus Inda fovet* B. inprob. Piersono Add. T. II. p. 719.

21. *discinctus* etc.] *disiunctus* ms. Voss. *quod si disiunctus* ms. Leid.

carpitur unum] *c. uno* ms. Serv. *una* ms. Voss. *quod discinctus eras animo (quod carpitur unum)* B. *quod discinctus eras (namque id prope carpitur unum) Diluitur vitae simplicitate tuae* H. *Quod discinctus eras, animo quoque, carpitur, illud Diluitur nivea simplicitate tua* Med. Wakker. p. 26. *Quod discinctus eras nimium, quod carpitur unum, Diluitur vitae simplicitate tuae.* V. D. (an Ruhnkenius?) apud Med. Wakker. *Quod discinctus eras, animus quoque carpit iniquus* Iacobs. p. 75. *Diluis at vitae simplicitate tuae* Oudend.

23. *aurea Virgo*] Astraea.

24. *pulsa fugit*] v. Bentlei. ad Hor. Serm. I. 6, 13. *unde Superbus Tarquinius regno pulsus fugit.* Heindorfius observat, nostro loco praesenti *fugit* significari *usque fugit* (fugit drückt das fortdauernde Fliehen aus).

25. *Livide*] Scal. *livida* ms. Scal. *invide* vulgo.

27. *erat*] *eras* ms. Serv.

hospes] ms. Scal. Leid. — *hospes* pro praefecto urbis a Symmacho quoque usurpatur. II, 148. — *obses* mss. Salmas. Voss. Serv. Wernsd.

28. *num tibi*] *nunc tibi* ms. Scal. *nuncubi* Scal.
29. *spoliavit*] *spoliavit euntem* ms. Serv. *violavit* ms. Leid.
30. *ipse*] *ense* Serv.

32. *maior res*] *triumphos maiores; maius abstinuisse fuit* mss. Leid. Voss. Serv.

33. *cadentes*] Schraderus Add. T. I. p. 730. Conf. B. ad Propert. III. 14, 4. *et cadit in patulos Nympha Aniena lacus.* Maecenatem delectatum esse aquarum fragoribus (durch Wasserfälle) Seneca scribit De Provid. 3. — *canentes* mss. vulgo. *canoras* Gorallus.

34. *certa*] *culta* Francius.

37. *marmora*] *marmora* et *monumenta* est ἓν διὰ δυοῖν pro *monumentis marmoreis.* — *marmora minaei* ms. Scal. *marmora Smyrnaei* Scal. *marmora minei* ms. Helmstad. *marmorea Aonii* Scal. H. Schraderus, B. i. e. poetarum carmina superant aedes marmoreas. *barbara Maeonii* Eldick. Add. T. II. p. 720.

39. *inpiger*] *ingere* ms. Voss. *integer* Tollius. *defunctus erat c. inpiger idem Militia Augusti Martis et* H. *defunctus erat c. i. idem Militia Augusti fortiter, usque pius* Oudend.

40. *fortiter, usque*] mss. Voss. Serv. Adverbium convenit cum verbo *defunctus erat* i. e. fortiter semper se gessit. — *fortis et usque* vulgo.
41. *viderunt*] *voluerunt* ms. Voss. *doluerunt* H.
saxa] *vada* Gorallus invito metro.
42. *hostilis — ratis*] *hostiles — rates* mss. Voss. Leid. Serv.
tigna] H. qui dat *hostilis tradere tigna ratis.* — *tigna* pro tabulatis navium. *tradere ligna* Scal. *ligna* vulgo. *lingua* ms. Voss.

44. *iam nunc — tum*] mss. Scal. Leid. *quam tunc ille tener tam gravis h. e.* ms. Leid. alter. *Quam tunc ille tener! quam gravis hostis erat!* vulgo. *quam, nunc ille tener, tam gravis h. e.* ms. Helmst. B. Wernsd.
46. *circum*] *circa* ms. Leid.
ducem] *duces* ms. Serv.
47. *fugientia*] H. vulgo. *fugientis* edd. priores.
48. *fugit*] *ruit* B.
ille] Antonius.
49. *laxarant*] ms. Leid. *laxarunt* vulgo.
cultus] i. e. cultum ac splendorem imperatoris.
50. *omnia*] *otia* Meinck.; placet.
53. *hic*] i. e. Apollo. Med. Wakker. p. 26. Wernsd.
54. *dotalem*] i. e. pretium coniugii obscoeni ap. Propert. III. 9, 31.
habere] *haerere* ms. Leid.

55. *hic*] int. Apollo. Schraderus Add. T. II. p. 720. Med. Wakker. Wernsd. — B. antea Maecenatem intelligebat.

curvaverat arcum] i. e. intenderat arcum. — *arcus* ms. Serv. *Sic tela in profugos tentum c. arcum* H.

56. *exorientis*] *ecce orientis* B. h. l. et ad Petron. p. 517. *mox orientis* H. *misit ad extremas mox orientis aquas* Med. Wakker. *misit ad extremas Nili orientis aquas*. Piersonus Add. T. II. p. 720.

57. *Bacche*] Antonium appellat, Bacchum Alexandriae cultu simulantem. itidem v. 66.

58. *iuvante*] *iubante* Rutgersius. *levante* Meibomius errore.

61. *sum memor, et certe memini*] i. e. ich erinnere mich, und zwar erinnere ich mich ganz bestimmt. Conf. Anth. III. 189. *Nuper die quarto, ut recordor et certe*, etc. *Tum memorant certe geminos tibi ducere thyrsos* Oudend. in Antiklotz. p. 62. *tum memorant curru geminas tibi ducere tigres* B.

sic ducere] *dicere thyrso* ms. Serv. Pro *sic* malo *tua ducere thyrsos brachia*, ut mox *tuos talos*.

62. *brachia*] *bacchea* mss. Voss. Leid.

purpurea] B. in Add. T. II. p. 720: *purpuream nivem*, inquit, *pro pulchra et candida exposui. Praeter illos, quos memoravi, adde Philandrum ad Vitruv. p. 299., qui hunc locum indicans Albinovanum apud Thylesium purpuream nivem dixisse in elegia, quae incerto auctore legitur de morte Augusti. Illud vocis monstrum Thylesium penitus ignoro.* Bardilius V. C. monet, hoc extare in Antonii Thylesii Consentini Opusculis, editis Basileae 1545. 8. p. 80. cap. 8. libelli de coloribus. — Eidem A. Thylesio Cassii Parmensis Orpheus vindicari debet. — *brachia prae pura* Oudend.

63. *et tibi*] *sed tibi* Meinek.

65. *argentata*] *amentata* Scal.

talaria] ms. Scal. Helmstad. Scalig. *sandalia* vulgo. Wernsd. metro obstante, quia in *sandalium* syllaba secunda brevis est ut in Terent. Eun. V. 7, 4. In Smetii vero Prosodia hic ipse versus pro exemplo affertur mediae longae. Hoc vero falsum esse ex graeca lingua demonstrari potest, ubi σανδάλιον ubique correpta secunda invenitur. — *plantaria* B.

66. *vinxerunt*] *vixerunt* ms. Voss. *strinxerunt* H.

67. *mollius*] *mollius es solito nec non temulente locutus* H. *albus es solito* ms. Scal. *balbius es solito* Scal. *mollius es solito matrum de more locutus* Wernsd. ex Virg. A. VII. 357. *mollius es solito tecum tum m. locutus* B. Add. T. II. p. 720. Hoc quoque distichon ad Antonii mollitiem spectat. *mecum* corruptum est.

71. *laetum*] *tecum* mss. Serv. Voss. Leid. *lentum* H. *sic tecum teneram multum lusisse puellam* ms. Helmst.

72. *Nemees iamque*] ms. Serv. *Nemeae iamque* vulgo. *Nemeai atque Erymanthe* Pithoeus ap. B.

73. *numquid*] *ultra non quid* Pith. ap. B.

74. *levisti*] a *lino* livi vel levi. — *levisti morso* ms. Serv. *laevast* H. *lenisti* vulgo.

75. *te propter*] *percussit propter crebros te Lydia nodos* Oudend.

76. *te propter*] *et propter* B.

77. *tunica — fluente*] ms. Serv. *tunicas — fluentes* vulgo. *faventes* ms. Leid. *foventes* ms. Helmst.

78. *ducere saepe*] intelligendum ex v. 76. *stamina*. (*Ducere stamina* Ovidius dixit in Met. IV. 221.)

Lydia te tunica iussit lasciva fluente
Inter lanificas ducere pensa suas.

H.

Lydia te tunicas iussit lasciva fluentes
Inter lanificas sumere saepe suas.

Med. Wakker. p. 28. Klotz. in Antib. p. 92.

79. *torosa*] *clava*, *torose*, H. B. Med. Wakker.

iacebat] *iacebant* ms. Serv., recte, si in sequenti *quas* quoque dabit.

80. *suspenso*] *quam pede suspensam* Ruhnk. ap. Med. Wakker.

percutiebat] *praeripiebat* B.

81. *premeret cum iam*] *credebat cum iam premit* mss. Serv. Voss. Leid. *cum iam premet* ms. Helmst. *cum rumperet inpiger* Scal.

83. *tereret*] *terret feliciter* ms. Leid. *tereret feliciter* ms. Voss. *terret velociter* ms. Helmst. *velociter ureret* Gorallus.

87. *Aloidas*] *Oenidas* ms. Scal. *fudit et Enidas* mss. Voss. Leid. *Aolidas* Leid. 2.

88. *in nitidum*] *in* pro instar ponitur, ut exemplis probat Oudend. ad h. l. et Ruhnk. in Praef. ad Schellerum. *in nitidum percubuisse diem* ms. Scal. Voss. *percubuisse bovem* ms. Salm. *procubuisse diem* ms. Leid. Helmst. *in nitidam proc. bovem* i. e. Ionem. Gorallus, Meinek.

89. *ecquis*] *ecquid* mss. Voss. Leid.

90. *amaturo*] *maturo* mss. Voss. Leid.

vina referre] *signa* mss. Voss. Scal. Leid. *digna* H. idque probo propter *referre*. *referre* pro ferre dictum dicit Wakef. ad Lucret. I. 204.

91. *dum*] sensu caret: si enim cum praecedenti iungendum esset, ad *dum* praeteriti temporis verbum, non praesentis addi debebat. *iam te* Hand. ad Statii Silv. II. 45. *tum te* H. Wernsd.

sacerdos] Ganymedes, qui vinum ministrabat Iovi, sacra quodammodo facit libatque Iovi. *formose lacertos* Wakef. ad Lucret. V. 1068. *formose iacentem* H.

92. *presso molliter*] i. e. molliter impresso (mit sanft eingedrückter Kralle); nec aliter Oudend. Wakef. autem l. l. *presso* per represso explicat. *prensum molliter ungue rapit* B. Hand. ad Statii Silv. II. 45.

ungue rapit] *ingue caput* mss. Voss. Leid.

93. *potiatur*] *patiatur* ms. Scal. *spatietur* Scal.

94. *odorata*] *adorata* mss. Voss. Serv.

95. *victus aret victusque metat*] ms. Serv. B. Wernsd. *victus .. victusque metat* ms. Leid. *victus erat victusque metat* ms. Helmst., ubi 2m. *arat*. *victor amet victusque metat* ms. Scal. *victorem victus metuat* vulgo.

96. *sternere*] *cernere* mss. Voss. Leid.

97. *dispensant*] *dispensat* mss. Voss. Leid. *dispensat lusus* H.

98. *haec*] tempora.

100. *liberat emerito*] *liberat et merito* mss. Leid. Voss. *libera et emerito* ms. Serv.

101. *conglaciantur*] *conglutinantur* mss. Serv. Voss. Leid. *cum glaciantur* H. B.

102. *egelidos*] *et gelidos* mss. Serv. Voss. Leid. *egelido* ms. Leid. 2.

103. *poterat*] Maecenas.

105. *indulsit*] Caesar. *induxit* ms. Serv. deest hoc distichon in mss. Voss. Leid.

merito] addit poeta. *indulsit merito* vulgo.

ille] Caesar maturo utitur iudicio.

106. *dignus*] i. e. Augustus iudicavit, Maecenatem dignum esse, cui indulgeatur.

107. *Argo*] *ergo saxa parens* mss. Voss. Leid.

Scylleïa] *Scyllaea relegit* Salmasius. *Scylaceïa* H. B. inprobante Wernsd. et Med. Wakkero p. 30. Medea, postquam redierat Argo (et in reditu Scyllam praeternavigarat), in agnum mutavit arietem.

108. *Cyaneosque metus*] *Cyaneos fremitus* Is. Vossius.

109. *viscera*] *viscera disiecti mutavit arietis agni Aetas* mss. Serv. Voss. Leid. *viscera directi mutaverat arietis agni* mss. Scal. Helmst. *viscera directi (i. e. dissecti) mutaverat arietis agno* Scal. Salmas. ex ms. ad Solinum p. 838. Meinek. *viscera defecti mutaverat arietis agno* B.

110. *Aeetis, sucis*] B. *Aetes faces omne perita suis* ms. Scal. *Aetas* mss. Voss. Leid. H. *Aeetis fucis omne p. s.* Scal. *Aetias et succis omne p. s.* vulgo. *Aeetis*, (Medea) *succis omniperita suis* Salm. ex ms. ad Solin. p. 838. „*omniperita* ut *omniscius, omnipotens.*“ —

112. *haec utinam*] *o utinam* ms. Serv.

Colchidos] *colchitos* ms. Leid.

113. *revirentibus aetas*] *aestas* mss. Voss. Serv. *revocantibus aestas* ms. Leid.

114. *ergo — redit?*] v. Lachmann. ad Propert. p. 236. *Ver cur non homini* H. *Ver o non homini* Oudend.

115. *cervos decet*] *evos decet esse faventes* ms. Serv. *decet esse, novantes si quorum* aut *paventes? Siccorumque nova cornua fronte vigent?* Wakef. ad Lucret. III. 614. „*siccorum* utique sui roboris atque iuventutis destitutorum, aridorum, senescentium.“ —

116. *si quorum*] i. e. quorumcunque Oudend. *Si* brachylogia intelligatur: quorum, si omnino aliquorum animalium, cornua rigent.

119. *pascitur*] *nascitur* ms. Scal.

123. *aptus*] *actus* mss. Voss. Leid.

124. 125. desunt aberrante librario in mss. Serv. Voss.

124. *et modo puniceum r. lavante*] ms. Scal. Salmas. Scriver. i. e. du warest werth auf ihrem Lager zu ruhen und, so oft der Morgenthau das in Purpur erglühende Lager badet, warest du werth, das Rosengespann anzuschirren. Hic versus matutinum tempus indicat et cum sequenti iungendus est. *et modo puniceo rore levante torum* vulgo i. e. und wenn der Purpurthau das Lager erfrischt etc. *et modo puniceo membra levare toro* H.

127. *tu*] *te* ms. Voss.

torsisset] scil. Aurora. Aurorae equus respicit, cum bigas retorquet seu reflectit Aurora, die procedente, id est, incipiente, cum Phoebus iam quadrigas agit. B.

128. *respicientis*] *respatiantis* Scal.

129. *chori iuvenum*] Salmas. Wernsd. *quaesivere chori iuvenem sic Hesperon olim, Quem necdum medio solvit in igne Venus* Scal. *quaesivere chori iuvenem sic Hesperon illum* vulgo.

130. *nexum*] i. e. inter astra relatum. Hesperus cito apparet vesperi, citius disparet, sed matutino tempore adversa coeli regione redit Luciferi nomine.

Venus] *nemus* mss. Voss. Serv.

131. *nitentem*] *iuventam* ms. Serv.

133. *hic tibi*] Lucifer, Orientis sidus, Maecenati donare crocum, casiam, balsama dicitur, quia haec aromata, in Oriente nata, in ignem rogi fundi solent.

Corycium] Sic dicitur crocus, quia in monte Coryco praestantissimus nascebatur. *hic e Corycio casias tibi donat* B. *hic tibi narcissum* Oudend. *coritium* ms. Leid.

134. *hic e*] *hic et* mss. Voss. Leid.

135. *redditus*] *redditur* ms. Voss.

137. *ter Pylium*] i. e. Pylium Nestora, tercanum (ut trisaeclisenem) flevere sui. — *Ter Peliam* B. coll. Eleg. ad Messalam v. 15. *ter Pylii flevere suum* Oudend. *ter Phrygium flevere sui* nempe Priamum. Schrader. Add. T. I. p. 733.

138. *dicebantque tamen, non*] mss. Leid. Helmst. *dicebant tamen hunc non satis* vulgo.

139. *annosi*] *annosa* mss. Voss. Leid. Serv.

vicisses] edd. Iunt. et Ascensii. Wakef. ad Lucret. III. 961. *vixisses* vulgo. *vixissem* mss. Voss. Leid.

140. *nente*] *nempe* mss. Serv. Voss. Leid. Helmst. *me dispensante tibi stamina neta f.* Salmas.

141. *nunc ego, quod p.*] int. tibi precor. Scal. *nunc ego quid possum?* vulgo.

142. *librato*] Erde, decke leicht seine Gebeine, und du selbst erhalte deine Last schwebend im Gleichgewicht. Tellurem rogat, ne nimium ossa Maecenatis premat.

143. *tibi*] telluri, tumulo.

110.

Anth. II. 120. In mss. cum praecedenti coniuncta est haec elegia, nec argumentum vel dictio vel mediocritas ingenii ab ea differt. Burmanno etiam peior alterâ esse videbatur: ego nihil interesse puto. Utraque Pentadii seculum non superat. Subscriptio in mss. Leid. Voss. est: *Finit elegia Virgilii Maronis in Maecenatem inventa abhenoc in Dacia.* Wernsd. Poet. lat. T. II. p. 236.

1. *sic est*] *sic et* ms. Serv.

4. *augustam Drusi — fidem*] I. Fr. Gronovius. i. e. ante Drusum; cuius fides erga Caesarem maxime fuit spectata. *augustam Bruti-fidem* vulgo. *angustam* mss. Voss. Helmst. *abruptam Bruti-fidem* Gorallus. *angustam* sive *funestam Drusi-diem* H. *abruptam Drusi-diem* Iacobs. Spec. Emend. p. 72.

6. *et magnum*] *est m.* ms. Voss. Conf. Consolatio ad Liviam de morte Drusi 39. *Caesaris illud opus, voti pars altera vestri, Occidit.*

7. *discedo*] *Dissidio vellemque prius* mss. Leid. Scal. prob. Scal. B. *discidio* mss. Leid. Serv. Voss. Helmst.

dixit] *dicit* mss. Voss. Leid.

8. *incidit*] *impediit* vel *invidit* H. *inciditque puer* ms. Serv.

9. *manifestus*] *male festus erat: moriens* H.

11. *si tamen*] *sed tamen* Cannegieter. Add. T. II. p. 721.

12. *dum morior: satis est*] ms. Helmst. *dum moriorque, satis.* vulgo. *dum moriorque, sat est* H. Pithoeus.

15. *mihi*] *tibi* ms. Serv.

16. *te*] mss. Scal. Leid. Helmst. Wernsd. „Ultra quietem sub terra levi nihil quidquam a te opto, quod tu pro potestate tua honoris causa mihi mortuo praestare possis. Id tantum velim, ut mei sis memor.“ *me* vulgo. *Te* praestat, quia sequitur *Sed meminisse velim*, ad quod *te* intelligitur. *nec tamen hoc ultra te doluisse velim* H. *hoc potuisse* mss. Voss. Leid. alt.

17. *illic*] *illuc* ms. Voss.

19. *amicus*] *amare* ms. Voss.

20. *nec tibi qui*] *nec sibi qui* Barth.

23. *vixi*] *iussi* mss. Voss. Leid.

molle beati] Salmas. Wernsd. *beatus* ms. Leid. *exemplum vixi te propter molle beate* vulgo.

25. *fui*] *tui* Salm. H.

29. *iuvenes*] C. et L. Agrippae, Agrippae generi Augusti filii, et ab Augusto adoptati, ideoque bis Caesare digni dicuntur.

bis] *vis* ms. Serv.

30. *et tradant porro*] *aeternent porro* Oudend. *et trudant p.* Scal.

31. *sit secura tibi*] *sed tibi secura* ms. Voss. Leid.

quam primum] mss. Serv. Helmst. Wernsd. *cum primum* ms. Leid. vulgo. *quod primum* ms. Leid. 2. *et saturo annorum superet tibi Livia coniux* Oudend.

32. *rapta*] ms. Helmst. *rupta* vulgo.

gener] Tiberius, qui mortuo Agrippa Iuliam duxerat. Scaliger Agrippam intelligit, qui expleverat defectum amissi Marcelli.

33. *cum, deus*] *deus* pro vocativo. *tum* Gorallus.

insignis avitis] *insignis et austris* ms. Serv.

34. *in proprio c. ipsa*] ms. Leid. *ipsa* ms. Voss. *in patrio collocet alma* vulgo. Augustus deus est, habetque deos avos, ac post mortem a Venere ipsa in coelum recipitur.

111.

Anth. V. 141. in ms. Petaviano inscribitur: *P. Virgilii Maronis de institutione viri boni versus incipiunt,* in ms. Leidensi: *opus inclutissimi Maronis de viro sapienti.* Inter carmina Ausoniana legitur p. 529. Sed nec Virgilii neque Ausonii esse videtur.

2. *multis*] *cunctis* ms. Thuan. 8069 et Paris. 7927 et 7936.

4. *quid proceres*] *quid per omnes variique levis quid* Par. 7936. *vanique levis quid* Par. 7927.

6. *labis*] *tabi* ms. Goth. *labiis per levia* mss. Thu. Paris. 7927 et 7936.

sidat] *fidat* Thu. *sedat* Par. 7936.

7. *dies quam*] *diem quem* Thu. Par. 7927, 7936.

8. *capricorno*] *campi cornu* ms. Thu. *capricornu* Par. 7927.

9. *trutinae se ex. p.*] *trutinae pondere pandit* Par. 7936.

10. *protuberet*] *quis percurrat et* ms. Goth. *proturberet* Thu. Par. 7927. *proturbet et angulus aequis* Par. 7936.

12. *subter*] *sit solidum quoque subtus nec inania subtus* Par. 7936. *subtus* Thu. Par. 7927.

13. *admotus*] *admotos* Goth. Conf. Persii Sat. V. 24. — Deest versus in Thu. Par. 7936.

14. *declinat*] *nec prius in duolem declinet lumina somnum* Par. 7936. *declinet* Goth. *declinatis* Thu. Par. 7927.

15. *reputaverit*] *reputant* Par. 7936.

acta] *apta* Thu. Par.

16. *quae praetergressus*] *quo praetergressus* Par. 7927, 7936. *quo progressurus* Goth.

17. *abfuit*] *cur illi furto decus affuerit* Par. 7936. *assit* Par. 7927.

18. *praeteritum est*] Goth. om. *est* vulgo.

cur haec] *cur mihi* Par. 7936.

20. *fracta-mente*] i. e. molli, non forti animo. — *cur alii infracta praesensi mente dolorem* Par. 7936.

21. *volui, quod*] *voluit quod molle* Thu. *v. quid molle* Par. 7927.

bonum foret] *bonum est et fore utile honesta* Par. 7936.

22. *num*] *non* Par. 7927, 7936.

23. *perstrictus*] *perstrictis* Thu. *perstringis quicquam sed me natura magis quid* Par. 7936.

24. *sic facta per omnia rursus*] Goth. *sic dicta et facta per omnia* vulgo, corrupte. *sic dicta per omnia facta* Par. 7936.

25. *ortoque a vespere*] ab orto Lucifero. Lucifer, Vesper idem sidus. Vinet.

26. *dat*] *det* Thu.

112.

Anth. I. 135. Wernsd. Po. lat. T. I. p. 617 et 666. Lambinus ad Horat. Serm. I. 10, 62. Fea ad Horat. Epist. I. 4, 3.

Sed iam dudum hoc carmen suspectum erat, ut ex Baylii Dictionn. s. v. *Cassius Severus* cognoscere licet. *Antonium Thylesium* auctorem eius esse, ex editione novissima huius viri poematum, Neapoli a. 1762. a Fr. Danielio curata, atque ex dissertatione Bartholomei Mercerii (in Millin Magas. encyclop. III. 6, 351.) patet, ut Kordes in Eberhardtii libro (über den Zustand der schönen Wissenschaften bei den Römern) p. 199. et Bardil. in Iahnii Ann. 1828. p. 218. docuit.

1. *argutae*] *arguta* Lamb.

12. *ridiculus dudum*] v. Add. B. T. II. p. 709. Alludit ad v. 3. *ridebant*, man lachte über sein Spiel.

16. *non levis adscensus* etc.]

> *Non levis, adscensu si quis petit ardua, sudor:*
> *Plurimus hunc tollit. nocturno exsomnis olivo*
> *Inmoritur, iactat, modo quod laudaverat, in se,*
> *Qui cupit aeternae donari frondis honore.*

i. e. Magno labore opus est, ut ad honoris culmen quis perveniat, sed plurimi sudorem tollunt, id est, sine labore adscendere cupiunt. Nocte etiam occupatur, et in se iactat, quod modo laudaverat (nam in aliis virtus laudatur et alget), qui laurum sibi donari cupit. Med. Wakker. Amoen. p. 151.

18. *damnat, modo quod*] *iactat, quod mox* vulgo. *delet, quod mox laudaverit* Lamb. *delet, quod laudaverat* Fea. *delet, quod collaudaverat ipse* Bothius.

113.

Apud Probum ad Virgil. Ge. l. I. v. 227. Cn. Cornelius Lentulus Gaetulicus, consul a. u. 779. p. Chr. 26. iis, qui epigrammata fecerunt, adiungi debet, ut Weichert. in Poet. lat. Rel. p. 250 sq. et Bähr. in Litt. d. Röm. p. 350. demonstraverunt. Hi versus ex carmine astronomico supersunt.

114.

Metrum Sapphicum. Cum in Anthologia multa sint supposititia carmina, has duas odas, quae Burmanni demum tempore ferebantur, praetermittere nolui. Prodierunt enim primum Pragae anno 1760. postea Villoisonus in Animadv. in Long. p. 310. anno 1778. eas edidit atque Iani in Horatio suo T. I. p. CXIV., tum Vanderburgius Vol. I. p. 356.

et Bothius in Adnotatt. ad Horat. T. I. p. 21. Conf. Fea in praef. Horat. pag. XLIII. ed. Both., Weichert. in Poet. lat. Reliqu. p. 370. Wyttenbachius in Biblioth. Crit. Vol. I. P. III. p. 99. Ruhnkenius in epist. ad Wyttenbachium pag. 28. scribit: Horatii odae, de quibus scribis, ne Latine quidem loquuntur. Nihil isto impostore impudentius.

15. *citiusve — aura*] *citiusne tristis Advocat hora* Both.

115.

Metrum Alcaicum, ut Hor. I. 9. Vide ad praecedentem odam. Prior mediocritatem ingenii, altera defectum prodit.

3. *quid*] *quod* Both.

8. *audi*] *aude* Both.

10. *disiecit*] *deiecit* Both.

11. *huic*] *hic* Both.

116.

Est fragmentum Ornithogoniae Aemilii Macri, quod recepi ex Isidori Origin. XII. 7, 19. — Conf. Bernhardy R. Litt. p. 218. Eberhardt. Zustand d. sch. Wissensch. unt. d. Römern p. 80.

1. *Cycnus*] *Cycnus in auguriis nautis gratissimus ales.*
Hunc optant semper, quia numquam mergitur undis.

Servius ad Virg. A. I. 397. Conf. B. ad Anth. T. I. p. 395.

117.

Anth. I. 103. Alii Germanico Caesari tribuunt, ut nuper Bernhardy R. Litt. p. 218., alii Hadriano imperatori, cum in Anthol. graeca Brunckii T. II. p. 285. vel Palatina Iacobsii lib. IX. ep. 387. idem epigramma extet hac inscriptione adiecta: *Ἀδριανοῦ Καίσαρος εἰς τὸν Ἕκτορα, οἱ δὲ Γερμανικοῦ. Ἡσύχιος δὲ εἰς Τιβέριον τὸν Καίσαρα ἀναφέρει αὐτό.* Et Iacobsius Hadriano tribuit, quia is imperator Troiam multis operibus ornaverit. Qua in re ei non assentior, cum epigramma multo magis in Romam urbem quam in Troiam renascentem conveniat. Alii conversum putant ab Italo aliquo ex Anthologia graeca, ut Pithoeus atque Orellius in nova edit. Eclogarum p. 262. Nec extant alia epigrammata Caesaris Germanici indubitata. Etsi illud, quod supra in epigrammatis C. Iulii Caesaris dedi, *Thrax puer*, Caesari Germanico potius tribuerim. Praeterea in Anth. Burmanni lib. V. 51. *Prognosticorum* Germanici fragmentum legitur, quod, cum ab Orellio V. C. in editione Phaedri et Arateorum illius poetae nuper una cum ceteris fragmentis expoliretur, lubens omisi.

3. *heres*] populus romanus.

4. *proferat*] i. e. augeat. Pithoeus. *praeferat* vulgo. *praeferat usque suae* Schrader.

5. *Ilios*] *Ilion* Scalig. Romam intelligit.

8. *sub Aeneadis*] Romani subiecerant Graecos.

118.

Anth. II. 241. ap. Sueton. de illustr. gramm. c. 22.

1. *didicit*] mss. Suetonii, probante Baumgart. Crusio. „Praeceptum fuisse videtur gladiatorium *caput ad laevam*, quod nos ignoramus, unde verbum *didicimus*, cui opponitur *praecipit*." — *deicit* vulgo, *reiicit* B. Add. T. I. p. 739., quorum alterutrum F. A. Wolfio placuit. *ducit* H. Wer das Kopf links! erlernt hat, der schreibt uns jetzt Noten.

2. *os nullum*] *os* duplici notione hic intelligitur. *os nullum* facundiae defectum significat, *os pugilis* inflatum ictibus os gladiatoris.

119.

Anth. I. 104. ex Senecae Suasor. lib. II. p. 23. Latro in hac suasoria, cum tractasset omnia, quae materia capiebat, posse ipsos et vincere, posse certe invictos reverti, et beneficio loci tum illam sententiam: *Si nihil aliud, erimus certe belli mora.* Postea memini, auditorem Latronis Abronium Silonem, patrem huius Silonis, qui pantomimis fabulas scripsit, et ingenium grande non tantum deseruit, sed posuit, recitare carmen, in quo agnovimus sensum Latronis in his versibus etc. Hi versus fragmentum sunt longioris poematis.

120.

Anth. III. 189. Cn. Mattii sive Matii aetas incerta. Alii eum ad Augusti aevum referunt, alii maiorem fuisse natu M. Terentio Varrone, de quo supra diximus, adnotarunt, ut F. A. Wolfius (Vorles. üb. d. Röm. Litt. p. 161.) et Wernsdorfius in Dissert. de Homeristis in Poet. lat. T. III. p. 474. Conf. Bernhardy R. Litt. p. 198.

In Anthologia B. decem versus continui ex mimiambis Mattii afferuntur, quos tamen non uno loco auctoris nec deinceps dictos fuisse existimo. Versus scazontes.

1. *nuper die quarto*] hic v. et secundus ap. Gell. X, 24. et Macrob. Sat. I. 4. leguntur. Pro *die quarto* vulgo dicebant *nudius quartus*.

recordor, et certe] i. e. recordor, et certe recordor, ich erinnere mich und zwar ganz gewiss. Gronovius ad Terent. Adel. IV. 5, 14. comparat Cicer. ad Att. VI. 3. *Q. Cicero puer legit (ut opinor, et certe) epistolam inscriptam patri suo. Ut recordor haec certe* Schraderus Add. T. II. p. 745. *ut recordor incerte* Bothius Po. Scenic. P. II. p. 267. Conf. Anth. II. 119, 61. *sum memor et certe memini* (supra p. 53.).

2. *aquarium*] *aquarium domi urceum unicum fregit* Both.

3—6. ap. Gell. XV. 25.

3. *albicascit*] Gronov. et Lion. ex mss. prob. Forcellino s. v. *albicassit* vulgo. Item ap. Nonium p. 167. *albicascit* in hoc ipso versu legitur.

4. *omnibus*] Scalig. *hominibus* ap. Gell. et Nonium.

6. *gubernare*] *gubernasse* Nonius p. 106.

7—12. ap. Gell. XX. 9.

7. *refice*] Scal. *reficere* vulgo. *recipe* B.

8. *columbulatim*] *columbatimque conserere labris labra* vulgo. Nostram lect. probat Wakef. ad Lucret. IV. 1102.

11 — 15. desunt in B. anthologia.

12. *nequamve*] *nequamque* Santenius ad Terentian. p. 348.

scitamenta] i. e. scita edulia, bellaria, Leckerbissen.

pipulo poscit] i. e. convicio poscit, ut Nonius p. 152. pipulum interpretatur. v. Lindem. ad Plauti Militem II. 2, 102. p. 144.

13 — 15. adieci ex Macrobii Sat. II. 16.

13. *ficorum*] hos versus ordinavit Santenius ad Terentian. p. 348. Apud Macrob. legitur: *Mattius: In milibus tot ficorum non videbitis grossum.* Both. delevit *ficorum*, quod Santenius in fine versus praecedentis collocare maluit.

15. *ab alio*] *ab aliis* Both.

grossos] *grossi appellantur fici, qui non maturescunt. Hos Graeci dicunt ὀλύνθους*. Both. Idem V. D. adiecit aliud fragmentum ex Prisciano T. I. p. 281: *Cn. Mattius: Meos hortulos plus stercoro quam olero.* Sed nescio an melius haec verba ad alium Matium referantur, quem de re rustica scripsisse Columella l. XII. 4. narrat. Idemque Wernsdorfius in Po. lat. T. III. p. 475. observat.

121.

Anth. II. 131. Wernsdorfius Poet. lat. T. III. p. 59. dicit: „Navigatio, quae fragmento eo describitur, ea est, quam Germanicus Drusi filius cum legionibus classi impositis tentavit per flumen Amisiam (Ems) in Oceanum septentrionalem (Nord-See) tertio Tiberii anno, et quam describit Tacitus Ann. II. 23." — Ibidem editum est carmen p. 220. Extat fragmentum hoc poematis apud Senecam in Suasor. I. p. 11. *Latini declamatores in Oceani descriptione non nimis viguerunt. nam aut tumide scripserunt aut curiose. Nemo illorum potuit tanto spiritu dicere quanto Pedo, qui navigante Germanico dixit: I a m p r i d e m* etc.

1. *relictum*] Pendet hic infinitivus cum duobus sequentibus ab illo *dixit.* Gronovius, verbum regens deesse ratus, corrigit tertio versu pro *tenebras pigebat*, B. in secundo versu pro *iam pridem iam piget*, Withofius (Coniecturen v. Grimm Stück 2. p. 13.) eodem versu *Iamque vident notis extorres* etc.

2. *extorres*] int. commilitones Germanici.

4. *Hesperii metas*] int. ex praecedenti *per*.

5. *nunc — consurgere*] i. e. dass sie jetzt den Ocean besteigen. Intelligo enim ad *ire* et *consurgere* idem subiectum, commilitones Germanici. Aliter Wernsd., qui explicat *nunc Oceanus consurgit vel intumescit.*

6. *ferat*] coniunctivus ideo positus, quia oratio obliqua est. *foret* Iacobs. Spec. Emend. p. 80.

pristis] *pestes* vulgo.

7. *ratibus-prensis*] i. e. naves a monstris marinis prehenduntur vel invaduntur. Wernsd. autem de navibus a turbine Oceani prehensis dictum putat.

8. *iam sidere*] pendet a sequenti *credunt.*

9. *flamine*] *flumine* Gorallus. Wernsd., qui recessum fluctus intelligit.

10. *credunt*] *tradunt* vulgo errore typogr.

11. *iam non*] Gorall. Wernsd. *tam non* vulgo.

16. *ruit*] *fuit* Schulting. inprob. B. ad A. V. 13.

orbemque relictum] i. e. terram, quam reliquimus.

17. *claudit*] *damnat* Oudend.

19. *libris*] *nobis* B. *lembis* i. e. navibus Oudend. *Libycis* Scriverius. *lauris* vel *labaris* Wernsd. *Poenis* Meinek. An *bellis intactum?*

122.

Anth. II. 226. Cf. Weichert. De Domitio Marso poeta p. 264.

2. *in Elysios*] ms. Regius, ut Tibull. I. 3, 58. Huschk. ad Tib. T. II. p. 677. *ad Elysios* vulgo.

3. *elegis molles*] „cum Pithoeus ediderit *elego*, legi etiam posset *elego molli.* Codex meus, olim Askewianus, habet *elego teneros.*" Santen. ad Terentian. p. 317. Sic *elego molli* apte responderet in sequenti *forti pede.*

123.

Anth. II. 247. Philargyrius ad Virg. Eclog. III. 90. „*Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi. Duos sui temporis poetas dicit pessimos, quorum carmina ob humilitatem abiecta sunt. — Ex quibus Bavius curator fuit, de quo Domitius in Cicuta refert*" etc. Domitius librum suum epigrammatum *Cicutam* appellavit propter acerbitatem et amaritudinem rerum. De Bavio ac Maevio disputat Weichert. Po. lat. Rel. p. 310.

3. *atque omnia denique, ut*] Handius in Tursellino T. II. p. 273. ubi formulam *denique omnia* vel *omnia denique* illustrat, adnotat: „Burmannus cum Pithoeo scripsit:

nummos atque omnia: denique, ut aiunt,

Sed coniungenda erant verba

atque omnia denique, ut aiunt.

Tum demum non languet voc. *omnia* iterum positum." — *et denique omnia* vel *ac d. o.* Philargyrius. — Klotz. in Antib. p. 107. et Weichert. B. sequitur. *nummos stat denique omnia* ms. Paris. teste Duebnero.

5. *m. communis utrique*] Philargyrius. *mulier concubitum* vulgo.

6. *nupsit*] Oudend. Weich. *novit* Philargyrius, vulgo.

deposuit] syllaba brevi in fine hemistichii, qua de re Santen. ad Terentian. p. 293.

124.

Anth. II. 155. De Cornelio Severo poeta disputavit Wernsdorf. in Poet. l. Min. in prooemio de carminibus heroicis T. III. p. 30. ediditque carmen eius p. 208. — Legitur hoc fragmentum apud Senecam Suas. VII. p. 49. „*Nemo tamen ex tot disertissimis viris melius Ciceronis mortem deploravit quam Cornelius Severus.*“

1. *paene*] *saepe* B. Add. T. II. p. 724.

2. *iacuere suis*] i. e. quae olim frequentibus concionibus celebraverant et quasi sua fecerant. Wernsd.

5. *iuratae manus*] i. e. coniurati.

6. *nefas extinctum et*] Gronov. Wernsd. *nefas, exserti et* Heins. B. *nefas detectum et* Iacobs. Specim. Emendatt. p. 78. — *nefas: est tunc et* vulgo.

9. *sacris et vita*] Scalig. ex mss. *sacris exacta quid artibus aetas* vulgo ex Schotti coni. Wernsd.

10. *aevi decus*] Scalig. *civis decus* vulgo. *urbis decus* Heins. *civi decus* nempe Ciceronem. Klotz. in Antiburm. p. 98.

14. *iurisque*] *ritusque* vulgo ap. Senec. Wernsd. — *legum iurumque* Lindenbrog.

15. *publica vox*] iunge *togaeque publica vox.*

18. *civis — proculcavit*] i. e. sein Mitbürger misshandelte mit übermüthigem Fusse das entstellte Haupt, das blutige graue Haar, und die geheiligten Hände, die grosse Werke vollführt hatten, als sie jetzt auf dem Boden lagen.

21. *hoc nec*] ms. D'Orleansii. *haec nec* vulgo.

Emathio] *Aemathio* vulgo.

22. *nec te*] i. e. nec in te.

24. *afuerunt*] Heins. *afuerant* vulgo.

125.

Anth. II. 267. ex Prisciano T. I. p. 410. Kr. Est fragmentum libri secundi Excellentium Alphii Aviti de ludimagistro principum Faliscorum liberos Camillo prodente. De Alphio Avito disputat Vossius de poet. lat. p. 38. Wernsd. in Poet. lat. T. II. p. 28. — Iambici dimetri.

1. *creditos*] *creditus* vulgo ap. Prisc.

4. *extraque muri*] Krehlius accusativum esse *extra* et pro *extera muri* dictum ait. Tunc autem *extera* scribendum erat, ne trochaeus versum inciperet. Sed Alphius Avitus genitivum coniunxit cum praepositione *extra*, graeco more ἔξω τοῦ τείχους, nec aliter ac Plinius fecit in Hist. N. XXV. 5. in fin. *Medetur extra corporis eruptionibus pituitae cum axungia salsa illitum.* Conf. Hand. Tursell. T. II. p. 682. Quod si minus placeat, *extraque muros* legi debet.

5. rursus in Prisc. T. II. p. 131. legitur.

7. 8. ap. Prisc. T. I. p. 553.

7. *hospites*] *obsides* Valesius. recte!

8. *captivos, habes*] i. e. in tua potestate hi liberi sunt, sive eos tuos esse hospites sive captivos voles. Sic interpunxit Schottus ad Aurelium Vict. p. 128. — *seu tute mavis obsides, seu tute captivos habes* vulgo. *habe* Valesius et Vossius. *aves* Stewech. et B.

9—11. ex Add. B. T. II. p. 730. Conf. Priscian. T. I. p. 159. not. ad §. 29. edit. Krehl.

9. *Curis*] adiectiv. a Curibus, oppido Sabinorum.

10. *caedes placet*] *sedes placet* Krehl. *caedes placat* Bondam. in Add. B. l. l. metro invito.

126.

Anth. III. 150. Ex epist. Senecae 24. *Memini te illum locum aliquando tractasse, non repente nos in mortem incidere, sed minutatim procedere. Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitae, et tunc quoque, cum crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam; usque ad hesternum quidquid transiit temporis, periit. Hunc ipsum, quem agimus, diem, cum morte dividimus. Quemadmodum clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quidquid ante defluxit, sic ultima hora, qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat. Tunc ad illam pervenimus, sed diu venimus. Haec cum descripsisses, quo soles, ore, semper quidem magnus, numquam tamen acrior, quam ubi veritati commodas verba, dixisti* etc. De Lucilio Iuniore dixit Wernsd. P. L. M. in prooemio de auctore Aetnae T. III. p. 18.

1. *mors non una*] *mors non ultima venit: quae rapit, ultima mors est.* Lipsius. Wernsd. Poet. T. III. p. 207. Vulgatam lect. praefero, cum ex epistola Senecae satis eluceat, hunc esse versus sensum: multa mortis genera patimur, antequam morte rapimur.

127.

Recepi ex Senecae epist. 8. In B. deest.

128.

Anth. III. 11. Wernsd. Poet. T. IV. p. 543. Leguntur haec Senecae epigrammata plerumque ante Consolationem ad matrem Helviam vel tragoediis praemissa, ut in edit. Scriverii, vel iis subiuncta, ut in Gronoviana, atque in T. IV. edit. Ruhkopf. p. 355. Attamen neque ingenium Senecae neque lumina dictionis attingunt. — *De se ad patriam* inscribit ms. Vossii.

2. *illacrimans*] *et lacrimas* Bardili.

5. *tempore non illo*] Pith. *tempore non alio* vulgo ex mss. Voss. Scalig.

6. *belli*] belli Hispaniensis, quod narrat Auctor de bello Hisp. c. 11 et 34.

9. *tempore non illo*] Pith. *tempore non alio* vulgo.

10. *nox*] vox ms. Voss.

11. *Lusitanus — latro*] Viriathus.

12. *figeret*] *frangeret* vel *finderet* Oudend. Add. T. II. p. 732.

16. *adluit Oceano*] ex his verbis forsan colligat aliquis, epigramma a poeta quodam fictum esse, qui Cordubae situm ignoravit. Corduba enim, caput Baeticae, longe ab Oceano remota est. Sed non aliter accipiendum videtur quam si simpliciter dixisset: Corduba in extrema Hispaniae ora sita est. *abstulit Oceano* vel *arcet ab Oceano* B. Add. T. II. p. 732. *attulit Oceano* Klotz. in Antib. p. 110.

129.

Anth. III. 12.

1. *Phocaïco*] ex ms. Salm. ad Solin. p. 66. Conf. Anth. IV. 230. *Phocaïo* Scal. *Phocaeo* vulgo. *focaico* ms. Thuan. 8071.

2. *patrio*] ms. Salm. *pario* ms. Voss. Thu. *Graio* vulgo.

Cyrnus] *cirnos* ms. Thu.

3. *Ilva*] hodie Elba. — *illa* mss. Scal. Voss. *Corsica cordanie br. porr. silva* Thu.

4. *fluminibus*] supra 30 flumina tabulae geographicae in Corsica adferunt. Lips. ad Senec. Consolat. ad Helv. c. 8. — *famosis vel limosis invia fluminibus* B. Add. T. II. p. 732. — *flaminibus* Thu.

6. *cum ferus ora*] *ecferus oranis* ib. mox *religatis.*

7. *sepultis*] ms. Voss. Lipsius in adnot. ad hoc epigr. — *solutis* i. e. mortuis. vulgo.

8. *vivorum cineri*] in hac locutione dictionem Senecae agnoscas. Exules iam sepultos esse dicit, ideoque eamdem eis formulam adclamari rogat: sit tibi terra levis.

130.

Anth. III. 13. Wernsdorf. l. l.

4. *Palladio*] *pallidio* ms. Thu. 8071.

5. *imbriferum*] ms. Salmasii. — *umbriferum* Schraderus Add. B. T. II. p. 732. — *umbrarum* vulgo. prob. Wernsd. — *hic florum* Cannegieterus. *umbrorum* ms. Voss. *imbrifero nullo* Thu.

7. *ultimus ignis*] i. e. ignis rogi. Lips. ad Consolat. ad Helv. c. 6.

131.

Anth. III. 95. Barthius id epigramma Seneca indignum censet. Wakef. ad Lucret. V. 96. idem perelegans Senecae poemation vocat.

2. *nil sinit*] *nil sinet* ms. Thu. 8071.

132.

Anth. III. 157. ex Epist. 107. Senecae. Burmannus non Senecae esse versus putat, sed Ciceronis. Id falsum arbitror, nec ex verbis Senecae ullo modo Burmanni opinio confirmatur. „*Sic adloquamur Iovem, cuius gubernaculo moles ista dirigitur, quemadmodum Cleanthes noster versibus disertissimis adloquitur. Quos mihi in nostrum sermonem*

mutare permittitur, Ciceronis viri disertissimi exemplo. Si placuerint, boni consules; si displicuerint, scies me in hoc secutum Ciceronis exemplum. — In eo enim exemplum secutus est Ciceronis Seneca, quod versus graecos non graece libro suo insereret, sed in latinum sermonem converteret. Adde Augustinum De Civit. Dei l. V. 8. „*Annaei Senecae sunt, nisi fallor, hi versus* etc. — Cleanthis versus v. in Enchiridio Epicteti c. 77. p. 328. ed. Salmas.

1. *duc me*] *Duc summe pater, altique dominator poli* Augustin. Nostram lect. tuetur Bentleius quoque ad Cic. Tuscul. I. 31. p. 250. ed. Orell. ubi dicit: *Illa Graeca Cleanthis Latine eleganter vertebat Seneca.*

3. *fac nolle*] i. e. fac, me nolle. Invitus quoque te comitabor.

4. *ducunt*] hic versus quartus est apud Senecam, quintus apud Augustinum, et in hoc ordine recepit B. et Bentleius. Lipsius adnotavit: *non est in graecis hic versus, et puto insititium esse, atque alibi lectum.*

5. *patiar, quod pati*] in Seneca leg. et ap. Bentl. — *malusque patiar, facere quod licuit bono,* in Augustino et vulgo.

133.

Anth. III. 118. Senecae adscribitur in ms. biblioth. Caesareae teste Lambecio Comm. de bibl. Caes. l. VI. p. 935. Addit Lambecius, in eodem ms. subiungi alterum distichon, quod recepi. Utrumque deterioris aevi est. Alterum B. adnotationi subiecit.

1. *iaspis. q. iaspide*] *ïaspis. q. ïaspide* B. falso. „Deterioris enim seculi scriptores *iaspis, Iason* et similia duabus syllabis efferebant." Schrader. in Emendat. p. 223. Epigramma simile est in Anth. I. 6.

134.

Anth. III. 151. Inscribitur in ms. Voss. *Parcendum misero.*

1. *occisi*] occisus hic dicitur ut supra *sepultus* de exule. *occisum iugulum quisquis scrutaris unus amicus* ms. Voss.

amici] *amice* Ruhkopf.

2. *tu*] *et* Heins. B.

4. *inpressit*] *pressit* ms. Voss. 1m.

mortua saepe manus] *saepe manus moriens.* Oudend.

135.

Anth. III. 152. Seneca in duobus epigrammatis C. Vibium Crispum Passienum oratorem adloquitur. In altero, in quo nunc versamur, Passienum unicam spem ac solatium esse profitetur, in altero, quod mox adferemus, mortem eius lugubri carmine deflet. Nec mirum. Seneca enim tum, cum obiit Passienus, in exilio fuit, ut ipse in hoc epigrammate indicat: *En hic, qui iaceo saxis telluris adhaerens.* Missus est in insulam Corsicam a. u. 794., unde rediit a. 803. Crispus vero Passienus necabatur sub initia Claudii circa a. u. 795. fraude Agrippinae, matris Neronis, quam viduam post Domitiam, quacum prioribus nuptiis iunctus fuerat, in matrimonium sumsit. Crispum Seneca appellat *meae vires*

lassarumque anchora rerum! eo potissimum, quod speraverat, veniam sibi reditus per eum, qui Agrippinae maritus erat, impetrari posse: sed eius mors totam spem frustravit. Lipsius in adnot. ad hoc epigramma ambigit, utrum Crispus sit Crispus Passienus, Agrippinae maritus, an Vibius Crispus, itidem oratoria virtute clarus, an denique hoc carmen omnino non a Seneca, sed ab alio exule sit factum. — Passieni, quem Quintilianus puer oratorem celeberrimum esse audierat, fragmenta oratoria in libro meo de Oratoribus Roman. collegi p. 240. — Inscribitur in mss. Voss. Scal. *ad amicum optimum.*

2. *vel antiquo — foro*] i. e. vel inter veteres oratores, quorum Cicero aliique.

3. *volebas*] *solebas* Heins.

5. *honor nobis*] *honor a nobis ars et* ms. Voss.

7. *dulcis placidique*] *fides dulcis Latiique acerrime vindex* vel *fides dubiis placidisque acerrime vindex* B. *fides dulcis Suadaeque acerrima virtus* Schrader. Add. T. II. p. 741. *fidis dulcis* (lyrae) *Latiique acerrima virtus* Val. Vonckius ibid.

9. *avo*] C. Salustius Crispus Crispi Passieni avus esse dicitur ab Heinsio.

patri] memoratur Passieni pater apud Hieronimum in Chronico: *Passienus pater, declamator insignis, diem obiit.* Id est anno 746., ante Chr. 8., quo anno Maecenas quoque et Horatius decessere medio fere principatu Augusti. Alii auctores patris non faciunt mentionem: in M. Seneca enim et Quintiliano Passienum filium intelligendum arbitror.

10. *quo solo*] i. e. te solo.

11. *en hic*] *an tu qui iaceo* ms. Voss. *an tu cui iaceo* ms. Scal. *an tua* mg. *at mea, qui* Lipsius. *at mea Cyrneae saxis* B. *Cyrneae, en! iaceo saxis* Oudend. *an tua, qui — Mens mecum est* Ruhkopf.

136.

Anth. II. 249.

Argumentum ex praecedenti petendum. Senecae vindicavit Scaliger in notis. Idem sentit B. ad Anth. III. 152. Hendecasyllabi. Inscribitur in mss. Voss. Scal. *de amico mortuo.*

1. *amici*] *a mihi* ms. Scal.

4. *nunc pars*] *nunc par* ms. Scal. Cf. Horat. Od. II. 17, 5.

6. *pectus*] *lusus* Francius. B. Add. T. I. p. 739. *decus* Wakef. ad Lucret. IV. 956.

7. *putabit*] *nil sine illo Laetum mens mea iam putavit esse Consumtus iam male* ms. Voss. *putavit* ms. Scal.

8. *consumtus*] *contunsus* Wakef.

9. *plus quam*] *postquam* Pith. Scriver.

137.

Anth. III. 153. Seneca eumdem describere videtur, in quem epigr. 134 et 138. scripsit. *De custodia sepulchri* mss. Voss. Scal.

1. *et nomen*] *en* vel *an* B.

2. *nostrum cinerem*] in epigr. 129. *Vivorum cineri sit tua terra levis.*

5. *sepulchris*] *sepultis* Schrader. Add. B. T. I. p. 744.

9. *sacra*] *atra* mss. Voss. Scal.

138.

Anth. III. 154. *In eum qui maligne iocatur* ms. Voss.

2. *at sunt*] *et sunt* vulgo. *at sunt carm. pectora taetra magis* Oudend.

3. *fugiet*] mss. Voss. Scal. *fugiat* vulgo. *fugit* Heins.

4. *haud — haud*] *aut — aut* mss. Voss. Scal.

5. *urbes In populum*] *urbes: In populum* Gron. Wakef. ad Lucret. IV. 1130.

7. *populus*] *populos* ms. Voss.

8. *motum*] i. e. furibundum, mente commotum. B.

11. *dum sua*] quicumque armis non utitur contra te, conviciis tuis obruitur.

12. *et e nostra*] *et it nostra* Heins. *it e nostra* B. An *et est nostra?*

13. *homo, et valide*] *homo valide* Heins. *homo es valide*, Val. Vonckius Add. T. II. p. 741.

crimina] *carmina* Scriver.

ludis] *ludit* mss. Voss. Scal.

15. *perque iocum*] *per totum* mss. Voss. Scal.

quid ad rem] i. e. quomodo lascivia tua propterea excusari potest?

16. *si plorem*] *ut plorem* Heins.

ista] int. crimina. *iste* B.

139.

Anth. III. 155. *De fratris filio parvulo* inscribitur in mss. Voss. Scal.

1. *frater maiorq. minorque*] maior est M. Annaeus Novatus sive M. Iunius Annaeus Gallio, minor Annaeus Mela, pater Lucani.

2. *doleant*] Heins. *doleat* vulgo.

5. *Marcus*] L. Annaei Senecae philosophi, qui hoc epigramma fecit, filius, qui in Consolat. ad Helv. c. 16. *blandissimus* puer dicitur. Mancum dicas epigramma, neque votum absolvitur. Lipsius. — B. per *Marcum* intelligit cum Heinsio Lucanum, Iunii Annaei Gallionis et L. Annaei Senecae ex fratre eorum, Annaeo Mela, nepotem, adeoque per *patruos* Gallionem et Senecam. Convenit cum Heinsio inscriptio ms. Voss.

140.

Anth. II. 223. Cf. Osanni Anal. Crit. p. 3. Both. in Poet. lat. scen. P. I. p. 81. Leguntur hi versus apud Gellium XV. 24.

2. *vidimus*] *videmus* mss. *videris* Gron. Osann.

3. *eum meo iudicio*] *eum* et *meo* monosyllaba. *hunc meo iudicio* apud Nestorem in Vocabul. v. *comoedus*. — *eum me iudice* Gyraldus. *iudicio meo eum* Vossius. *eum iudice me* Mattius. *meo eum iudicio* Oudend. vel delebat *eum*.

4. *quis*] *qui* Osann. Both.

5. *comico*] *mimico* Gron. *mimicam* Both.

7. *qui fervet*] *dein Naevius*, *qui ferret pretium tertium* Osannus. Vulgata in mss. innititur.

8. *Licinio*] *Licinius* ex quattuor brevibus syllabis constat, ut sequens versus docet et Martialis:

Doctorum Licini celeberrime, summe virorum.

Intelligo Licinium, qui Tegula sive Imbrex (utrique enim cognomini eadem vis) vulgo appellatur; v. F. A. Wolfius in Vorles. üb. Röm. Litt. p. 136. — Bernhardy in R. Litt. p. 189. vitiosam lectionem *edit. Stephanianae* sequitur.

9. *Licinium*] Both. Lion. *Licinium facito* ap. Nestorem. *Licinio facio* vulgo.

Attilium] v. F. A. Wolfius l. l. p. 130.

10. *in s. sequitur*] mss. *in sexto consequetur hos Terentius* vulgo.

12. *Luscium*] Luscius Lavinius, Terentii aemulus. Conf. Neukirch. de fabula togata p. 171.

14. *sumetur Hecyra*] Alterum ex eodem Volcatii libro fragmentum, in quo Terentii fabulae tractantur, edidi ex Suetonii vit. Terent. c. 2 et 4.

sexta ex his] *sexta ex hisce* Hearius: idque placet, ut versus expoliatur. Oudendorpius quidem ruditatem versus praefert.

141.

Anth. III. 8. ex Scholiasta Lucani III. 261. „*Tigrim*: De hoc ait Nero in primo libro" etc. Vossius et Oudendorpius ex Troicis Neronis hos versus desumtos putant, quo de opere Wernsdorf. P. L. M. T. III. p. 489. et Bernhardy R. L. p. 112. loquuntur.

2. *tractus*] „i. e. se trahens, non *absorptus* iam nunc, ob praecedentem vocem *subductus*." Wakef. ad Lucret. I. 1003. *tectus* Ex. Clercquius Add. T. II. p. 731. De re conf. Bernhardy ad Dionys. Perieg. v. 988. Mannert. Geogr. Persien T. V. 2. p. 205 sqq.

142.

Anth. III. 61. Wernsd. Poet. T. VII. p. 137. De aetate huius scriptoris magna est controversia. Niebuhrius (Kl. Philol. Schr. p. 337.) circa annum 350. p. Chr. vixisse Petronium dicit, cui adstipulatur Bernhardy (Röm. Litt. p. 331.). Huic opinioni gravia quaedam argumenta Orellius opposuit in Inscriptt. n. 1175. T. I. p. 257. atque Schloeserus

(Universalhist. Uebers. III. 1. p. 422.). — Recepi hoc loco tria epigrammata, quae in Anth. III. 61. 62. 63. leguntur, quaeque in codicibus manuscriptis Petronio inscribi, auctor est Burmannus ad l. III. 105. T. I. p. 558.

2. *fecunda*] *facunda* ms. Voss.

3. *dant rami cerasos*] *dant pruna et cerasos* Oudend. Add. T. II. p. 734.

5. *diductos*] ms. Voss. *deductos* vulgo.

6. *Corycium — olus*] Virg. Geo. IV. 127.

7. *missura*] *iussura* Oudend.

8. *si — praeter*] Wernsd. *si vero alitibus fraudem contexere praeterea* vulgo. Wernsd. *praeter* correxit pro *praeterea:* illud enim sic usurpari, multi Plinii maioris loci, quos Gesnerus in Thes. collegit, probant. — *sive alitibus fraudem contexere praeterea* mss. Voss. et Scalig. *Praeterea sive alitibus contexere fraudem* — Oudend.

Si vero alitibus fraudem contexere, pinna
Seu magis inbelles etc.

Klotz. in Antiburm. p. 113. „Locus classicus apud Senec. de Ira II. 12. *Maximos ferarum greges linea pennis distincta continet et in insidias agit.* et de cervis Virg. Geo. III. *Puniceaeve agitant pavidos formidine pinnae.* et Auson. l. II. ep. 4. *cervos circumdant maculis et multa indagine pinnae.*" Add. Lipsius ad Senec. de Clement. I. 12. Gratii Carm. Venatic. v. 75 sqq. Hanc emendationem Klotzii ipse B. amplexus est in Antiklotzio p. 69.

9. *seu*] *heu* ms. Voss.

12. *fugientis*] *fugiendis* ms. Voss.

14. *inveniar*] *inveniat* mss. Scal. Voss. Precor, ut in hoc tegurio per totam vitam habitare in eoque vitam finire possim.

poscar] *poscat* ms. Voss. Hier werde mir das Leben abgefordert! — *membra reponam* B. patruus. *tempora ponam* Klotz. in Antiburm. p. 113.

143.

Anth. III. 62. Petronio tribuitur in mss., ut supra dixi. Wernsd. Poet. T. III. p. 458 et 508. Rufum Avienum epigramma fecisse dicit, quem epitomen Iliados Homeri scripsisse putabat.

1. *dulcius*] *dulcior* mss. Voss. Scal.

3. *dies*] *quies* Heins.

hoc quondam] *hac quondam* mss. Voss. Scalig.

4. *Iliadum*] margo Pithoei. Wernsd., etsi antea T. II. p. 314. *Iliade* maluerat. Iliadum i. q. Iliadarum. Iliadae sunt Troiani. Hoc rure olim Homeri Iliada legere solebam. — *Phyllidos hamatas sollicitare manus* Heinsius. *Iliados* vulgo.

5. *hic fontis lacus*] *hic fons, hic lacus* Heins. *locus* ms. Voss.

6. *haec*] ms. Voss. *hic* vulgo.

victa Cupidinibus] *dicta Cup.* Heins. An *vota Cupidinibus? Facitis iuncta crepidinibus* Wernsd.

7. *pervixi*] *pervici* Oudend.

8. *prior hora*] *priora* mss. Voss. Scal.

9. *illic alternis*] in mss. Voss. et Scalig. novum hic incipit carmen, a priori avulsum per duo alia epigrammata interiecta. Sed recte Pithoeus et Scaliger utrumque coniunxerunt. B.

depugnat] *depugnant* Wakef. ad Lucret. I. 1065.

11. *divisas*] *diffissas* Hand. ad Statii Silv. I. 11. An *collisas*? Wakef. ad Lucret. V. 376.: „si quid, inquit, mutandum sit, proponam *diffissas*, sed vulgata lectio pro *apertas* longe elegantior videtur. Nec meliore cum successu τὸ *miti* Burmanno divexatur.“ —

12. *pastor miti*] *pastor mitis perluit omne pecus* mss. Voss. Scal.

13. *mors obvia*] Heins. Wakef. ad Lucret. V. 376. *m. oblita* mss. Voss. Scal. *obsita* vulgo. *abdita* Wernsd. *Illic immani mors horrida saevit hiatu* Oudend.

14. *recisa*] *recissa* mss. Voss. Scal.

16. *periuro basia*] ms. Scal. *da ꝑiuro bassa* ms. Voss. *hic dat securo basia amica viro* B. *hic dat Penelope basia m. v.* Oudend. *hic dat periuro basia nulla viro* Tollius. *hic data periuro* (vel *percaro*) *basia multa viro* sc. urunt. Wernsd. *hic dat perluto* (i. e. ebrio) *basia amica viro* Iacobs. Spec. Emendatt. p. 81.

18. *vivet*] *vivit* Heins.

144.

Anth. III. 63. Petronio in mss. adscribitur, ut supra dixi.

1. *mavult pro parte*] *maluit pro pare* mss. Voss. et Scalig. *mavult propare* ms. Lindenbrogi. *qui nolit properare mori* Oudendorp.

fata] *facta* mss. Scal. Voss.

3. *hactenus*] i. e. non ulterius noverit mare, quam quousque pedes suos aqua tangere possit. B.

4. *adluit*] Heins. Oudend. *obluit* mss. Voss. et Scal. *abluit* vulgo.

5. *mitulus*] hanc scripturam Heindorfius probat ad Hor. Sat. II. 4, 27. — *myrti lusagas* ms. Scal. *myrtilus algas* Scal. *mitylus* vulgo.

6. *rauco*] *glauco* Pithoeus.

sinu] *sono* Klotz. in Antib. p. 115.

9. *tuto*] *toto* ms. Voss.

145.

Anth. III. 119. Wernsd. Poet. T. III. p. 512. Primum versum sub Petronii nomine Fulgentius Mytholog. I. 1. et Lutatius, Statii scholiasta, ad Theb. III. 661. affert. Sed memorabile est, eumdem versum in Statii carmine l. l. reperiri, et a Servio ad Virg. Aen. II. 715. sub Statii nomine citari. Igitur alteruter ex altero cum mutuatus est. Observa-

vimus autem, multos aliorum poetarum versus carminibus suis inseruisse Petronium nec nominatis auctoribus, ideoque iis assentiri malo, qui eum in aetatem Antoniuorum removerunt quam aliis, qui Statii aequalem fuisse credunt. Tunc enim iste mos minus frequens erat.

1. *ardua*] *horrida* Wakef. ad Lucret. V. 1217.

2. *moenia*] *Maenala* Perlkamp. in Nov. Act. Societ. Rh. Traiect. T. I. p. 144.

3. *ictus*] *ictu* Anton.

4. *deiectus*] *devectus* Heins. *subvectus* vel *provectus* Wernsd.

5. *signa*] i. e. sidera. Anton simulacra deorum hinc erecta intelligit. Perperam.

7. *proiecit*] *proiectum vitium atque error* ms. Scal. *Proiecit* i. e. auxit.

8. *messis*] *mensis* ms. Scal.

11. *Pallasque tabernas*] *omnis N. d. aqua pallidasque tabernas* ms. Scal. *Pallasque cavernas* vulgo. Tabernae sunt opificum: opifices omnes in tutela Minervae.

12. *voti reus et q. v. o.*] i. e. bonus malusque pariter deos fingunt.

146.

Anth. III. 120.

2. *toto*] i. e. puro. *solito* B. *noto* Palmerius.

4. *sustinet ora*] i. e. auch das Wild reckt den Kopf nach Veränderung des Futters.

5. *ipsa*] *ipse* Anton.

perluit haustu] Wakef. ad Lucret. IV. 203. „nempe, inquit, sol nos irrigat ea luce, quam haurimus et adbibimus."

6. *permutatis*] scil. Lunae vel noctis cum Solis vel diei equis. Dies ideo gratus, quia nox eum sequitur.

hora] *ora* ms. Scal.

147.

Anth. III. 121.

1. *legitimus*] *legis unus* ms. Scalig.

148.

Anth. III. 122.

1. *inveniat*] *inveniet* ms. Scal. *invenias* Anton.

149.

Anth. III. 123.

1. *nam nihil*] *an nihil — usum?* Medenbach. Wakker. p. 106.

2. *quae iacuere*] i. e. ea, quae contempta usque iacebant, in infortunio magis quam divitiae iuvare solent: sic aurum naufragum servare non potest, remus vero, nullius pretii, eum servare potest; ac diviti bellum impendet, quod pauper contemnit. *quae nocuere* B.

5. *deponderat*] i. e. pondere suo deprimit.
fulvum — aurum] *vulsam — aurem* ms. Scal.
5. *iugulo*] i. e. iugulo divitis ferrum minatur.
6. *contemtu*] i. e. contemtui. *contemnit* ms. Scal.

150.

Anth. III. 124.
5. *cadentem*] *iacentem* mss.
6. *Ithacus*] corruptum. *maior in externa sita cui descendat arenas* ms. Scal.

151.

Anth. III. 54. ex Petronii Satyr. c. 131.

152.

Anth. III. 55. ex Petronii Satyr. c. 127.
6. *clamavit*] i. e. invitavit. *clinavit* vulgo ex coni. Lipsii.

153.

Anth. III. 126. ex Petron. c. 34. In ms. Scal. est *C. Petronii Arbitri Afranii.*

154.

Anth. III. 127. ex Petron. c. 5. Scazontes.
2. *more — polleat*] Anton. *morem — pellat* vulgo. *mores — pendat* i. e. ponderet, exigat. Eldick. Add. B. T. II. p. 739.
8. *se det redemtis*] Anton. *sedeat redemtus* vulgo.

155.

Anth. III. 128. ex Petron. c. 5.
5. *iam mittat*] Schrader. Emend. p. 46. *mox et Socratico plenus immittat habenas* Anton. *mox et Socratico plenas grege mittat Athenas* B. *mox et Socratico plenus grege, mittat habenas* vulgo. *plenus melle* vel *sale* Klotz. in Antib. p. 119.
7. *hinc*] Anton. *hunc* vulgo. *tunc* Klotz.
8. *exonerata sono*] *et modo Graio Ora onerata sono mutent suffusa saporem* Klotz.
10. *cortina*] Anton. *fortuna* vulgo.

156.

Anth. III. 129. ex Petron. c. 18.
2. *qua libet*] Schrader. Add. T. II. p. 740. Anton. *qualibet* vulgo.
3. *nectit*] Anton. *flectit* vulgo. *contemtu iurgia flectit* Oudend.

157.

Anth. III. 134. ex Petron. c. 93.

2. *atque Afrae*] *Ales Phasiacis petita Colchis*
et pictis atagen opaca pennis
atque Afrae etc.
quod non sunt faciles. at albus anser
plebeium sapit. Ultimis ab oris
attractus scarus est. et Afra Syrtis
quidquid naufragio etc.

vulgo. Antonium sum secutus.

158.

Anth. III. 137. ex Petron. c. 11 et 82. et Fulgentii Mythol. II. 18.

1. *poma aut pendentia carpit*] ms. Scal. *aquas neque poma natantia sumit* vulgo. *aquas nec poma patentia carpit* Anton. *poma aut nutantia* Oudend. Add. T. II. p. 740.

159.

Anth. III. 138. ex Petron. c. 14.

5. *coena*] *coeno* Iacobs. Spec. Emend. p. 86.

160.

Anth. III. 139. ex Petron. c. 137.

161.

Anth. III. 140. ex Petron. c. 135. Wernsd. Poet. T. III. p. 305.

1. *non Indum*] ms. Scal. *Indum non* vulgo.

2. *iam*] *tam* vulgo.

5. *actu*] *astu* vulgo.

6. *mollis stillae*] Anton. *molli stilla latus* vulgo.

9. *clavos*] Anton. *clavus* vulgo.

11. *praeterea*] ms. Scal. Anton.

Conservabat opes humilis casa: mitia sorba
Praeterea quae fumoso suspensa tigillo

vulgo.

13. *pendebant texta coronas*] *p. t. corollas* vulgo. *pendebat costa*, nempe suilla, Oudend. Add. T. II. p. 740.

16. *Hecale*] *Hecales* Anton., qui *terra* pro subiecto habet.

17. *Battiades*] Anton. *Battiadae veteris vivendo tradidit aevo* vulgo. Pro *vivendo* B. in Add. T. II. p. 740. *victuro* coniecit.

Digna sacris Hecale, quam Musa sequentibus annis
Battiadae veteris miranti tradidit aevo.

Ouwens. in Noctibus Haganis p. 279.

162.

Anth. III. 141. ex Petron. c. 83.

163.

Anth. III. 158. ex Petron. c. 80.

4. *cecidit*] Anton. *cedit* vulgo.

8. *assimulata*] Anton. *dissimulata* vulgo.

164.

Anth. III. 225. ex Petron. c. 15. Hendecasyllabi.

165.

Anth. III. 226. ex Petron. c. 79. Hendecasyllabi.

166.

Anth. III. 254. ex Petron. c. 132.

7. *veri doctus*] *ipse pater veri Actaeis Epicurus in hortis* Burm patruus, prob. Oudend. Add. T. II. p. 749.

167.

Anth. III. 255. ex Petron. c. 126.

168.

Anth. III. 257. ex Petron. c. 109.

169.

Anth. III. 256. ex Petron. c. 109.

170.

Anth. VI. 90. T. II. p. 641. ex Petron. c. 104. Wernsd. Poet. T. III. p. 297.

4. *urget membra quies*] Anton. *languent membra, quies* vulgo.

171.

Anth. VI. 91. T. II. p. 643. ex Petron. c. 128. Wernsd. Poet. T. III. p. 299.

4. *perluit*] *proluit* vulgo.

5. *et mentem*] ante hunc v. vulgo legitur alius versus: *Candidiorque dies secreto favit amori*, qui ex alio epigrammate Petronii *III. 55.* librarii culpa illatus est.

8. *redit*] contractum ex *rediit.*

172.

Anth. VI. 93. T. II. p. 645. ex Petron. c. 134. Wernsd. Poet. T. III. p. 302.

2. *siccatis*] *spissatis* vulgo.

3. *opes*] *aquas* vulgo.

13. *Ulixis*] *Ulyssi* vulgo.

173.

Anth. I. 51. ex Petron. c. 133.

4. *tuis*] h. e. tuis sacris. *suis* Schrader. Add. T. I. p. 720.

12. *hora*] *aura* vulgo.

13. *patiar decus*] *lateat decus* Cannegieter. Add. T. II. p. 704.

ibit ad aras — *ibit ad aras*] *inbuet aras* — *inbuet aras* Schrader. l. l.

174.

Anth. III. 252. Iambicum dimetrum claudum. V. 1—4. in Terentiano leguntur p. 115. *Et condere inde carmen Multi solent poetae. Horatium videmus, Versus tenoris huius Nusquam locasse iuges; At Arbiter disertus Libris suis frequentat. Agnoscere haec potestis, Cantare quae solemus* etc.

5. *Aegyptius choraules*] Salmasius ad Vopisci Carinum c. 19. T. II. p. 820. dicit *choraulem* vocari puerum, qui ad tibias saltat. — *choreutes* Scal. *Aegyptias choreas* Anton.

6. et 7. ex Diomedis lib. III.

8—11. ex Terentiano p. 133. Versus Anacreontei, quales describit Hermannus in Elem. p. 483., quosque Arbitro tribuit Mar. Victorinus Art. IV. p. 2601.

9. *Triviae*] Lunae.

10. *axi*] ap. Mallium Theodorum p. 52. prob. Santenio ad Terent. p. 374. *axe* vulgo.

11. *rapidum*] *rutilum* ap. Mallium. *totum* vulgo.

175.

Anth. III. 7. Hendecasyllabi. Wernsd. T. IV. p. 541.

6. *hac alta Gyaro*] v. Wagner. ad Virg. Aen. III. 73.

7. *constanti*] i. stabili, immobili.

176.

Anth. III. 25. Occurrit in ms. Salm. inter Luxorii epigrammata sub titulo *de puteo cavato in monte arido*. Add. T. II. p. 732. coll. B. ad Luxor. 59.

1. *ipsis*] *siccis* Heins.

2. *viscere*] *visceri* ms. Salm.

177.

Anth. III. 197. *De initio et fine amoris* ms. Scal.

5. *quid vana deos*] *arguimus quid fata, deos?* Iacobs. Spec. Emend. p. 81. *quid, vana, deos?* B. ita ut *vana* ad Deliam referatur. Ego *vana* adverbii loco habeo pro frustra, incassum, ut Virg. A.

ut vidit fulgentem armis ac vana tumentem.

178.

Anth. III. 125. Wernsd. Poet. T. II. p. 128.

1. *mortales*] i. e. homines. Anton. iungit *flammas mortales* pro mortiferis.

ore] *ora* ms. Scal.

2. *in aula*] int. principis. *in aurem* Francius.

6—9. leguntur etiam ap. Fulgentium in Mythol. III. 9.

6. *reserare*] *servare* ms. Scal.

8. *excepit*] *concepit* Fulgent.

9. *incinuere*] Salmas. *invenerem idem* ms. Scal. *invenere* vulgo.

narraverat] ex ms. Scal. vulgo. *conceperat* Fulgent.

179.

Anth. III. 130. ex Fulgentii Mytholog. II. 9. Hendecasyllabi.

1. *qui*] Munker. *cui* vulgo.

ultimum] ex ms. Scal. vulgo. *intimum* Fulgent.

pererrat] *penetrat* Wakef. ad Lucret. III. 997. *nec Tityon volucres ineunt Acherunte iacentem.*

2. *trahit*] i. e. lacerat. Wakef.

3. *Tityi*] *trepidi* ms. Scal. *lepidi* Pithoeus. Anth. III. 92, 20.

Intentans animo faces Erinnys
Letalis Tityique vultur intus,
Qui semper lacerat comestque mentem.

4. *Luctus*] Livor atque Luctus sunt pestes infernales. Sic Munker. et B. *luxus* vulgo.

180.

Anth. III. 131. Hendecasyllabi.

3. *nam turris*] ex Lucretio IV. 354.

4. *adtritis*] *detritis* ms. Voss.

rotatur] Animadvertas, ait Wakefieldius, singularem verbi *rotatur* usum, non alibi ut exputo legendum.

5. *Hyblaeum*] *Hybleum* vulgo.

6. *naris*] Anton. *maris* mss. Voss. Scal. *marcens* vulgo.

8. *posset*] Anton. *possunt* mss. Scal. Voss. vulgo.

181.

Anth. III. 133. Wernsd. Poet. T. II. p. 125.

2. *fama*] *forma* Oudend. Add. B. T. II. p. 731.

3. *anne etiam*] *iamne etiam* Oudend. Add. B. T. II. p. 740.

4. *mersas luxuriantur*] Forcellinus hunc solum adfert locum, ubi *luxuriari* cum accusativo iungitur. — *mersae luxuriantur* Wernsd.

6. *festram*] *festam* vulgo. *Vestam* Barthius.

182.

Anth. III. 224. Barthius Pentadio tribuit.

4. *opus*] illae ingenii dotes pulchritudinem corporis superant.

5. *condit*] a condire. Omnis ars sive ingenii cultus ornat augetque corporis decorem.

6. *et nisi velle*] legendum: *et nisi si illa subest;* si enim ars formam non excolit, forma ipsa minus grata est. *Quod nisi et illa subest* Heins. *et nisi sal suberit* Anton.

183.

Anth. III. 253. In Addendis T. I. p. 747. Burmannus varias lectiones ex mss. Voss. et Salmas. adfert. Wernsd. in Poet. lat. T. III. p. 309.

2. *fundunt*] *fundant* mss. Voss. Salm. Thu. 8071. *fundunt* in marg. — Coronas rosarum habebant in collo convivae. Vid. Böttig. Die Sabinerinn T. I. p. 209, 240.

cedit] *cedunt* ms. Salm. Crines rutili maxime amabantur a Romanis. V. Böttig. Sabin. T. I. p. 119, 160.

3. *mellea*] *mollia* (Thu.) *purporeum* mss. Voss. Salm. — *mollia* probat Boissonad. ad Nicetae lib. I. 147.

4. *lacteaque*] *lacteque* ms. Voss. Thu. *lacteaque* in marg. *lacte atque amixtus* (*admixtus* mg.) *sublimina* (*sublimat* mg.) *pectora* ms. Salm.

sublimat] i. e. sinum tumidiorem reddit. *sublinit* B.

5. *honos*] Thu. *honor* vulgo.

6. *fulges*] *fulgens et in Venerem* ms. Voss. Thu.

vincis] *vinges* ms. Salm. *vinces* Thu.

7. *facta*] *firma* ms. Salm. *nota* mg.

8. *Serica*] *sirica* ms. Voss. Thu. *silica* mg.

stamine] *in stamine* mss. Salm. Thu. Cf. Nemesiani Cyneg. 91.

9. *nescit modicos*] mss. Voss. Salm. Thu. *modicos nescit* vulgo.

11. *cum ferre*] *conferre velis* ms. Voss. Thu. *cum ferre voles* mg. Salm.

12. *nullos interimes*] ms. Salm. *nullo sint erismes* ms. Voss. Thu. *nulli sherimes* mg. *nulli sternuntur* vulgo.

13. *guttura*] *guttula* ms. Voss.

magnisve] Thu. Dousa. vulgo. Deest *ve* mss. Salm. Voss.

monilibus] *mollibus* Thu. Voss.

15. *laudabile*] *laudare* ms. Salm.

totum est] mss. Voss. Salm. Thuan. prob. Boissonad. ad Nicetae lib. III. 332. — *totum* sine *est* vulgo.

16. *probent*] mss. Voss. Thuan. *probet* Boissonad. l. c. *probat* mg. ms. Voss. vulgo. Wernsd. Anton.

possit] *posset* Voss. am.

17. *plectra Thaliae*] *plectrat aliae* Thu.

18. *rear, qua*] ms. Salm. *rear quam* ms. Voss. *reor qua molle* mg. *reor, qua* vulgo. Wernsd. *reor, quae* Anton. *reus quam* Thu.

19. *in miseros*] *in misero* ms. Voss. Thu.

amoris] *amantes* B. prob. Wernsd.

20 et 21. ex Voss. Salm. Thu. recepi, quos non sine causa ineptos vocat B.

21. *depellor*] Thu. Salm. teste Boissonadio ad Nicetae lib. II. 141. *debellor* Thu. Silligii. Voss. Conf. Anth. III. 59, 7.

22. *cor*] *et grave* mss. Voss. Salm. Thu.

alit] *aut* ms. Salm.

25. *fuget*] *fugit* ms. Voss. *fuget* mg. ms. Salm. *fulget* Thu.

ne] *ne tanta pudres violentia nerbos dissicit adque tuae* ms. Salm. *nec* vulgo.

26. *tuae — causae*] *tua — causa* Wernsd.

27. *saltem*] *saltim* ms. Voss.

28. *ut iam*] *utinam d. nibeis* ms. Salm.

184.

Duo Petronii epigrammatum scriptores distingui debent: alter *C. Petronius Arbiter Afranius*, ut ms. Scalig. nomina exhibet in lib. III. 126., nec alius nisi Satyrici scriptor ibi intelligitur, cum versibus ex illo opere excerptis hoc auctoris nomen inponatur. Alter est *Petronius Antigenis Pisaurensis*, de quo Burm. in Add. T. I. p. 740. dicit.

Anth. I. 90. *De Tetide* ms. Thu.

2. *puerperium*] i. e. infans recens editus, Wiegenkind.

4. *in membris tincti*] *non tincti* vel *tacti membri* vel *non tinctis membris* Oudendorp.

locum] talus Achillis morti ansam dedit.

185.

Anth. I. 99. „*Incerti, et, ut mihi videtur, recentissimi auctoris carmen est de Telepho*“ Weichert. in Poet. lat. Rel. p. 201. scribit. *De Telefo* ms. Thu. 8071.

1. *Alcidis*] *Alcidae* H.

2. *externae sortis*] *externi Martis* H.

4. *litus—suum*] i. e. Telephi.

5. *occurrens*] *occurrent — pugna acilli* Thu.

6. *Scyria*] H. Oudend. B. Scyria hasta ab Achille, qui in insula Scyro latebat. *Syria* ms. Voss. Thu.

perculit] mss. Salmas. Thu. Voss. *percutit* vulgo. Tempus praeteritum ceteris praeteritis melius convenit.

8. *quo*] ms. Salm. teste ac suasore Boissonadio ad Nicetae librum III. 251. — *quod* vulgo.

salubrem] media brevi, ut III. 31, 8. *Cum salsum salubri litus abundat aqua.* — *certam* Heins. *celerem* Munckerus.

9. *robore raso*] ms. Salm. B. quod firmat Hyginus fab. CI. de Telepho agens: *Tunc Ulixes ait: Non te dicit Apollo, sed auctorem vulneris hastam nominat: quam cum rasissent, remediatus est.* — *robore sato* ms. Voss.

mox precibus flexi Pelidae robore sacro
iniecto membris pulvere plaga fuit.

vulgo.

mox precibus flexo Pelidae robore, sacro
iniecto membris pulvere plaga coit.

Gesnerus in Actis Erudit. 1748. pag. 129.

mox precibus flexi Pelidae robore sarta
iniecto m. p. plaga fuit.

Iacobs. Spec. Emendat. p. 68.

mox precibus flexo Pelida, e robore raso
ini. m. p. plaga fugit.

Oudend.

10. *fugit*] B. *fuit* vulgo.

11. *casu*] *casus* ms. Voss. *monstrant fata viro varii m. casus* Oudend.

186.

Anth. II. 12. *Laus Xerxis* inscribitur in mss. Salm. Divion.

1. *Perses*] ms. Scal. vulgo. *Xersis* ms. Salm. *Xerces* ms. Divion. *Tarses* ms. Voss.

comitatur] *comitatus* ms. Salm.

3. *tellus*] mss. Scal. Salm. Divion. vulgo. *mundus* Pithoeus.

coelum] mss. Salm. Divion. Wakef. ad Lucret. III. 1045. „*Tellus* et *coelum* optime vicissim opponuntur." — *solem* ms. Scal. vulgo.

4. *Iovem*] ms. Divion. *diem* ms. Salm. vulgo.

7. *hominum*] vulgo prob. Wesseling. ad Herodot. VII. p. 536. — *quis novus hic dominus* Dorvillius. *quis novus hic daemon* Oudend.

187.

Anth. II. 261. Sub Petronii Pisaurensis nomine adfert Tollius ad Ausonium p. 775., unde et inter Petronii Antigenidis Pisaurensis carmina edidit Oliverius ad Marm. Pisaur. p. 165. B. Add. T. I. p. 740. ms. Voss. praefigit titulum *memoria literas permanere.*

1. *stulti*] i. e. insani.

2. *quasque*] *quaeque* ms. Voss.

Appia] i. e. via Appia.

6. *externum*] *aeternum* ms. Voss. Antonium intelligit.

7. *quaeque*] *quodque* ms. Voss.

188.

Anth. II. 15. *De Atho Monte* inscribit ms. Voss. Hoc epigramma cum altero, quod Anth. II. 12. vel supra 186. editum est, Petronio Antigenidi tribuitur, ut ex adnotatione Burm. ad II. 12. patet.

1. *pervius*] *Ipsius* mss. Scal. Voss.

3. *fluctu*] *vultu* ms. Voss. *sulco* Oudend. *ultu* ms. Scal.

4. *maxima bella*] *maxima vela* Schraderus.

5. *sub tanto*] Oudend. in Add. B. T. II. p. 714. adnotat: *Fingit poeta, Athon non divulsum esse a continenti, sed excavatum fuisse, ita ut sub pondere et cana nive montis esset mare, per quod sonuerunt seu navigarunt classes. Unde forsan in his versibus nihil emendandum.* Unter dem gewaltigen Gebirge brausten plötzlich Flotten, und unter einer weissen Schneedecke lag jetzt das dunkele Meer! Pariter explicat locum Klotzius in Antiburmanno p. 78.

sonuerunt] *gemuerunt* B. *stupuerunt* i. e. classes, quae *subierunt* tantam molem montis. Wakef. ad Lucret. II. 362.

8. *Perses, et fecit*] *Terses et effecit* ms. Voss. Oudend. iunxit *Perses miles.* Verto: und der Krieger (statt: die Krieger) *zog* über das Meer.

10. *hoc terrae fiat*] *hoc terrae fiat ac mare* ms. Voss. *hoc terra fiat ac mare* ms. Scal. *Hoc terrae fiant, hoc mare, dixit: erant.* Gronovius ad Moysaicae sublimitatis exemplum. *Hic terrae fiant, hac mare, dixit, eat.* Toupius ad Longinum cap. 9. Vulgatam sic vertendam puto: das soll zu Ländern werden, d. h. hier sollen Länder entstehen. Cat. Vir. 46. *cinis omnia fiant.*

189.

Anth. IV. 344. Orellii Inscriptt. N. 1174. et in Eclogis Poetarum p. 266. Huc collocavi epitaphium Petronii Antigenidis, ut omnia, quae ad eum pertinent, coniungerentur. Attamen non solum incertum est, quis sit Hilarus, qui patronus ei epitaphium fecit, verum etiam illud, an ad eumdem Petronium carmen sit referendum. Oliverius in Marmoribus Pisaurensibus p. 164. ipsius Petronii Antigenidis epitaphium esse statuit. „Decennis", ait, „Petronius decessit; verum ita fuit naturae muneribus or„natus, ut philosophicas et mathematicas disciplinas id aetatis perceperit, „et, quod caput est, elegantissima carmina scripserit". Ego Oliverii sententiae non accedo, cum epigrammata quinque, quae supra dedi, a puero vix decenni componi potuisse non credam.

4. *in superis feci*] i. e., auf der Oberwelt. *Superi* similiter ap. Velleium II. 48. dicuntur homines vivi. Tum *annos facere* in Inscriptt. plus semel invenitur pro annos agere, vivere. Gesner. Thes. T. I. p. 570.

6. *pia*] *et libros legi, legi dia carmina* H. Wakef. ad Lucret. II. 172.

7. *praescripta tulisset*] i. e. legi omnes libros Euclidis, in quibus praecepta arithmetica dederat. *Praescripta ferre* dicitur ut *leges ferre.*

9. *pater ipse, patronus*] i. e. patronus, qui patris instar mihi erat. — *pater atque patronus* vulgo.

Hilarus] Oliver. Grut. *Hyarus* vulgo.

11. *infernas sedes*] intellig. ex sequenti *ad.* — *nunc vero ad infernas sedes* vulgo corrupte.

12. *persidere*] Wakef. ad Lucret. VI. 1124. *per sidera* vulgo.

190.

Anth. VI. 94. Turno poetae satyrico vindicare studet Wernsdorfius in P. L. Min. T. II. p. 49. ubi hoc ipsum fragmentum recensuit pag. 130. Conf. F. A. Wolf. Vorles. über Röm. Litt. p. 231. et Rupert. in Praefat. ad Iuvenalem T. I. p. CXVII. Bernhardy R. Litt. p. 247. Poeta in hac satira invehitur in poetas adulantes Neroni eiusque libertis.

1. *ergo*] ultima brevi. v. 7. *ergo* ultima longa.

4. *illis*] adulatoribus.

12. *uxoris pueri*] B. intelligit Pythagoram, Neronis libertum, de quo Tacitus Ann. XV. 37.; Wernsdorfius Sporum puerum, quem Suetonius describit v. Ner. c. 28.

16. *sub titulo*] quasi meretrices et prostibula. Wernsd.

19. *aut Menae*] Musae vel poetae adeo sunt faciles, ut vel pessimum libertum ut Menam, libertum olim Sexti Pompeii, qui classem eius Augusto prodidit (Suet. Aug. c. 74.) aut Polycletum, Neronis libertum, carminibus adulantibus ornent, et servos stigmatosos, qui recens demum libertatem acceperunt, vehementer ament. Nam *maculas ardent* valet: amant vehementissime ipsa servorum stigmata.

20. *nutu*] i. e. nutui.

22. *hesterni Getae*] i. e. eius, qui heri adhuc serviit, i. e. liberti recentis. — *externique* B.

23. *patrem oblitae*] Flavius Caper p. 2239: *Oblitus ne sis nostri, non nos; veteres tamen et hoc modo dixerunt.*

26. *Titii*] Tigellinum notari putat Wernsd.

27. *transscripsere Erebo*] honorem diis et divinis rebus debitum impertiunt illis monstris, Orci satellitibus. Wernsd. und was dem Olympus gebührt, tragen sie auf die Hölle über.

ponere templa] irridet poetas, qui Neronem deum esse dicebant.

29. *Terrigenas*] Neronem Gigantum similem esse dicit.

191.

Anth. I. 27. De vita et aetate Septimii Sereni Wernsdorfius loquitur in Poet. L. Min. T. I. p. 605. eumque temporibus Vespasianorum floruisse putat, cum supparem se aetate Terentianus Maurus (v. 1891.) profiteatur in illo: *Dulcia Septimius qui scripsit opuscula nuper:* is

autem Martialis aequalis fuisse dicitur. Sed haec quoque quaestio in nullo innititur fundamento; nam si Petronius, cuius versus a Terentiano citantur, sub Antoninis demum vixit, sicuti Valesii et Niebuhrius affirmarunt, Terentianus quoque ulterius removendus est. Cf. Niebuhr. Klein. Schr. T. I. p. 346. Hos versus ipsum principium Opusculorum ruralium Septimii (Gedichte über die Feldarbeiten) fuisse dicit Wernsdorfius. Versus sunt choriambi, quos servavit Terentianus p. 85.

4. *reserata mugiunt*] hi pedes in choriambico metro aliquid offensionis habent, quam Terentianus ipse statim tollit: *Ecce vides ta mugiunt esse duos iambos; Temporibus namque pares saepe sibi vicissim Cedere vel tribrachyn admittere saepe possunt. Tibi vetus a|ra caluit Abo | rigineo sacello. Hic quoque succedere sic tribrachyn, annotabis Longa quod est in geminas prima breves soluta: Tibi; similis nec minus altera pede consequenti: Ra ca. monui iam satis, has saepe soleri solvi. Pro chorio tribrachys hic bis datus invenitur. Nec minus hoc Ra caluit Abo rigineo sacello Ut chorius solvitur et tribrachys est iambus.* — Sic Oudendorpii correctiones, quas in Add. Burm. T. II. p. 703. profert, necessariae non sunt, ut Santenius p. 327. adnotavit. Versus 2. a Mario quoque Victorino Art. gr. pag. 2552. citatur, v. 4. ibidem p. 2583. et v. 5. p. 2594.

192.

Anth. III. 57. ex Terentiano Mauro p. 90. Versus constant e dactylica hephthemimeri. Wernsd. Poet. T. I. p. 634.

1. *inquit amicus*] *Inquit amicus ager domino, sere: plurima reddam.*
Si bene mi facias, memini tibi solvere gratas.
vulgo perverse. Conf. Santen. ad vs. 1984.

193.

Anth. II. 55. ex Plinii epist. VI. 10. De Verginio Rufo imperatore victorioso Plutarchus in Galba c. 10. loquitur.

194.

Anth. I. 23. Pithoeus asteriscum praefixit, tamquam suspectum habuerit.

1. *vos*] *des* Oudend. Nihil mutandum. Intellige *adeste*. Mod. Wakker. Amoen. p. 137.

195.

Anth. II. 253. ex Plinii epist. VII. 4.

1. *libros Galli*] *Galli libros* ed. 1476. ap. B. Intelligit libros Asinii Galli.

ille] *ipse* ed. princ. 1471. ed. Mediolanensis 1478.

2. *rursus de C. daret*] ms. Mediceus proff. B. ad Virg. Geo. II. 260., quia alias quoque hoc fecit Gallus. — *prorsus de C. daret* Titzius.

ausus de C. daret edd. 1471. 1478. 1498. 1510., quas omnes ex liberalitate Orellii V. C. accepi. — *ausus de Cicerone dare est palmamque d.* Schaeferus, quod probo. *De Cicerone dare est ausus palmamque d.* vulgo.

3. *inveni lusum*] *invenit usum* 1471. *invenit versum* 1478. et ms. Leidensis.

4. *spectandum ingenio*] 1471. 1478. 1498. Schaef. Titz. — *spect. genio* 1510. vulgo.

6. *mentes*] *mentis* 1471. 1478. 1498. 1510.

7. *queritur*] *quaeritur* 1510.

8. *sibi*] *tibi* 1476.

savia] 1471. 1478. 1498. 1510. Titz. *suavia* Schaef.

9. *subtraxerit*] *subtraxerat* 1476. Conf. Huschk. ad Tibull. II. 3, 9.

10. *post haec*] edd. supp. *posthac* vulgo.

11. *nullumque in*] *nullum in* Titzius. *nihilumque* Heins.

timidi] *timida* 1471. 1478.

atque fatemur] duplicem admittit sensum: nam aut ad praecedentem interrogationem refertur, aut novam incipit sententiam, ita ut sensus sit: *Immo fatebor inde amores meos.*

196.

Anth. II. 266. ex epist. Plinii VII. 9.

1. *ut laus*] *ut laetus est Caesare m. c. sequitur* 1471. *ut laus est cere m. c. sequitur* 1478. Conf. B. ad T. II. p. 515.

2. *fiat*] *fingat* 1498. 1510.

3. *castamve*] 1471. 1478. 1498. 1510. Titz. prob. Schaef. *castamque* vulgo.

5. *sola*] edd. supp. *solum* vulgo.

6. *iuvant*] ms. Medic. vulgo. *levant* 1471. 1478. mss. Bodleian. et Leidens. *levant* ms. Barthii.

7. *ingenium flecti*] *flecti ingenium* 1498. 1510.

8. *docta mobilitate*] ad eruditam ingenii facilitatem.

197.

Anth. II. 254. ex Plinii Epist. IV. 27. Versus hendecasyllabi.

1. *versibus minutis*] hendecasyllabos minutos vocat prae versibus heroicis, quibus severiores musae utuntur. Argumentum tenue tenui metro convenit. Conf. Weichert. Poet. l. Rel. p. 124.

3. *veteres quid*] totum v. ex ms. Mediceo dedi. *et Calvus veteresque. Sed quid ad me?* vulgo ex edd. 1471. 1478. 1498. 1510. Titz.

4. *priores*] i. e. Plinius mihi instar est omnium veterum poetarum. — *prior: is mavult* ed. 1478. *Unus Plinius est mihi, priorum mavult* Klotz. in Antiburm. p. 108.

6. *putatque amari*] Similiter Plinius in epist. IX. 33, 6. *Amari putat, amat ipse; neuter timet, neuter timetur.* — *iuvatque amare Illos (Plinius ille) Quid Catones* ed. 1498. 1510.

7. *ille o Plinius*] Heins. Schaef. *ille Plinius, ille. Quid Catones*? 1471. 1478. vulgo.

quot Catones] i. e. Plinius instar est multorum testium. — *Quid Catonem* 1476. *quot catenae* ms. Leid. Cato hic pro teste certissimo ponitur.

8. *i nunc*] nunc cum Plinius amorum sit suasor, relinquere eos non licet.

quisquis amas] Mediceus. *quisquis sapias* ms. Leidens. 1471. 1478. *qui sapias* vulgo.

198.

Anth. III. 251. De Sulpicia poetria dixit Wernsdorfius P. L. M. T. II. p. 52. ediditque hoc e carminibus eius amatoriis fragmentum p. 155. Extat in Schol. Iuvenalis sat. VI. 536.

1. *me*] omitt. in ms. Vallae.

destitutam] *restitutis f. nudum C. concubentem* ms. Vallae. *cadurcis dest. f.* explicat Ruperti ad Iuven. loc. l. remotis stragulis. Nemo dicat, nudam me extra lectum (lecto non inposito) Caleno (civi Caleni municipii) concubuisse. Falso vocab. *cadurcum interpretatus* est scholiasta. Aliter Salmasius in Exercitt. Plin. p. 824., qui *dicit*: *cadurcae fasciae* non institae sunt, quibus lectus intenditur, sed fasciae lineae, quibus ipsa Sulpicia velabatur.

199.

Anth. II. 94. Extat in Schol. Iuvenalis IV. 38. *Ultimum (Flaviorum) dicit Domitianum, quia in illo Caesarum origo defecit, et cum Vespasianus et Titus et Domiti[illegible] ex gente fuerint, Domitianus ultimus illorum et dissi[illegible] imperavit. Meminit hoc Valerius Martialis in epigrammate.* [illegible] *sibi finit* etc. Patet epigrammatis finem tantum a scholiasta laudari, nec inter cetera Martialis id legitur, sed in librum Spectaculorum, qui farraginem epigrammatum in codicibus Martialis praestantissimis non extantium continet, receperunt editores. Ianus Douza et Burmannus patruus Sulpiciae tribuerunt, et Wernsdorf. quoque cum fragmentis Sulpiciae T. II. p. 155. edidit. Poeta dicit, Domitianum totam Flaviorum hereditatem abstulisse, quia omnia bona priorum Flaviorum, Vespasiani ac Titi, malis suis moribus deleverat.

200.

Edidi hoc Martialis epigramma, quod in nulla adhuc editione legitur, ex operibus Lessingii T. I. p. 221.

201.

Anth. III. 16. Libro spectaculorum Martialis insertum est N. 29. In ms. Scalig. inscribitur *Martialis de Prisco et Vero*.

5. *ad digitum*] conf. Spalding. ad Quint. VIII. 5, 20. Hand. ad Tursellinum T. I. p. 120. Lipsius in Saturnal. II. 21. T. III. p. 976.

9. *utrisque — utrisque*] Scal. Pluralis hoc aevo nullam habet ostensionem, ut ad Quintilianum non semel monui. *utriusque — utriusque* mss. Voss. Scal. *utrique — utrique* vulgo.

11. *te sub*] *tibi* ms. Voss. Totum distichon ab hoc carmine alienum putat Scaliger.

202.

Anth. III. 17. Inscriptionem dant mss. Voss. Scal.

2. *lentas*] Heins. *lintas* mss. Voss. Scal. *Lyncas — mora* mg.

5. *intellecto principe*] non liquet. In ms. Vindobonensi nullam lacunam indicari refert Kramerus in libro, qui inscriptus est: Die Hauschronik p. 216.

6. *sacra est vis*] *sacra est haec sacra potestas* ms. Vindobon.

203.

Anth. III. 18. Haec duo disticha non cohaerent atque Scriverius separatum utrumque edidit in libro Spectaculorum N. 30 et 31.

1. *subitis*] carminibus non meditatis.

3. *virtutis — secunda*] *virtutis — secundae* Heins. *victoris fama secunda* Scriverius. Occumbere fortiori dedecus non est, sed turpe est, cedere minori.

204.

Anth. IV. 245. Extat inter Martialis epigrammata lib. I. 117.

1. *honori*] ms. Palat. Heinsius. *honore* vulgo.

2. *pauca*] *pulcra* mss. ap. Labbeum.

4. *erit*] *fert* Labbeus.

6. *serviet*] Scriver. *serviat* vulgo.

205.

Ex Addendis Burmanni T. I. p. 739. recepi. M. Valerius Probus grammaticus inter suam aetatem praestanti scientia fuit Gellio teste in Noct. Att. IV. 7. Is vixit sub Nerone multosque reliquit libros, qui a Gellio aliisque scriptoribus laudantur. Ac libri duo Grammaticarum Institutionum et unus de notis Romanorum liber eidem vulgo tribuuntur. Hi versus ad Caelestinum prooemium sunt illarum institutionum. Sed hos libros alius esse grammatici, idem nomen ferentis, at multo recentioris, vere Lindemannus Tom. I. Corporis Grammaticorum p. 39. his verbis dicit: „Sequitur iam Probus, non ille quidem antiquus M. Va„lerius Probus, quem Suetonius in libello de gramm. illust. c. 24. nimis „pauca et exigua de quibusdam minutis quaestiunculis edidisse testatur, „sed haud dubie serior quidam eiusdem nominis“.

3. *favorem*] *favore* vulgo. Ordo verborum est: *Quo cumulante mihi favorem, fortuna haud invita sese dedit, mihi condere famam,*

comitante benigno, *quem virum superi voluere*, i. e. eo viro comite, quem superi comitem mihi addere voluerint. Lindemannus.

9. *artet*] *arcet* vulgo.

11. *arta*] *arcta* vulgo.

206.

Anth. II. 96. ex Spartiani Hadriano c. 25. *Et moriens quidem hos versus fecisse dicitur etc. Tales autem, nec multo meliores, fecit et graecos.* Id Spartiani de Hadriani carminibus iudicium comprobat Bernhardy Röm. Litt. p. 127.

1. *animula*] Serenus ap. Diomedem p. 513. *Animula miserula properiter abiit.* Ex Add. B. T. II. p. 717.

3. *quae*] *quem nunc abibis in locum* ms. Cyriaci. Add. T. I. p. 729.

4. *rigida*] *rigidula* vulgo ex Aldina. Conf. Wakef. ad Lucret. V. 567.

207.

Anth. II. 98. ex Spartiani Hadriano c. 16.

Iambici dimetri catalecti mixti cum trochaicis dimetris, ut Salmasius ad Spartiani Hadrian. 16. T. I. p. 155. dicit. Sed Casaubonus atque Schraderus omnes unius generis, iambicos dimetros catalectos, esse docuere.

2. *ambulare*] pronuntiandum *amblare*.

4. *culices*] *cimices* Heins., Is. Vossius, sed inprobat Schraderus, quia obstat metrum; nam prima in cimice longa, ut in illo Horatii Sat. I. 10, 78.

Men' moveat cimex Pantilius etc.

Ex Add. B. T. I. p. 730.

208.

Edidi ex Appuleii Apologia p. 410. *Divus Hadrianus, cum Voconii amici sui, poetae, tumulum versibus veneraretur, ita scripsit* etc.

209.

Anth. II. 118. Burmannus in Addendis T. I. p. 730. et sequ. duas Cannegieteri epistolas edidit, ex quibus hoc epigramma multum lucis accipit. Citat enim Scriverii adnotationem, quae huc maxime pertinet: *Epitaphium Sorani Batavi, Aelio Hadriano Augusto auctore. Gerardus Noviomagus in edit. Hist. Bat. Anni XXX testatur, idem in schedis se reperisse in antiquissimo libello ms. Lovanii.* Fides epigrammatis, de qua antea dubitabatur, hoc testimonio restituta est, nec amplius de nomine auctoris atque militis, cui inscriptum est, ambigi debet. In ms. Voss. legitur: *Carmen Adriani Augusti de forti milite.* Edidi ex recensione Cannegieteri.

2. *fortesque Batavos*] *fortisque Batavus* vulgo. *Batavus* media longa pronuntiari docuit Schraderus in Emend. p. XXVI sq.

3. *iudice*] *vindice* vulgo. Pro *vasta* Cameg. *vasto* operarum vitio.

4. *tranare*] *transnare* vulgo.

5. *emissum*] *inmissum* vulgo.

6. *ac redit*] *et r.* vulgo.

ex alia] *ex alto* Schraderus in Add. B. T. II. p. 719.

8. *miles*] distinguit quatuor hominum classes, Romanos, barbaros, milites, sagittarios. „*Militem* respondere *Romano*, ut *barbarus* iungitur *Partho*, censebat Oudendorpius." Add. B. T. II. p. 719.

9. *hic memori*] *hoc memori* vulgo.

10. *viderit, anne aliquis*] i. e. viderit aliquis, anne.

210.

Anth. II. 258. *Traiani imperatoris de bello Parthico versus decori* in vet. cod. inscribi monuit Oudendorp.

1. *belli*] *bellum* Tollius.

2. *Teuthranta*] *Theutranta* vulgo. *Theotranta* duo mss. ap. B. Legendum *Teuthranta* hic et in ceteris versibus, ut apud Virgilium et Ovidium nomen scribitur.

4. *figitur*] in alio ordine versus leguntur in mss. Dorvill. et Leid., atque in editione Pindari Thebani a 1515., cuius varietatem adnotavit B. in Add. T. II. p. 729., nempe 1. 2. 3. 6. 5. 4.

7. *Iphicli*] *Aephycli* vulgo.

211.

Anth. IV. 399. In Orellii Inscript. T. I. p. 196. n. 824., qui epigramma suspectum esse putat. Octo priores versus ex Gassendi Vita Peirescii lib. IV. p. 331. [p. 141. ed. 1655.], qui testatur, eos sic in tabula marmorea legi, edidi, Schraderum secutus in Epist. crit. p. LXXX. Hadrianum imperatorem monumentum Borystheni equo sepulcrale condidisse et carmina de eo panxisse, Dio Cassius tradit l. LXIX. 10. Versus Anacreontei.

4. *tumulos et ruscos*] correxit Masdéu Opusc. p. 175. Orellius. — *tumulos Etruscos* vulgo.

6. *Pannonicos in apros*] *Pannonicos nec ullus apros insequentem* vulgo.

7. *insequentem — nocere*] accusativum cum verbo *nocere* iungi, contendunt Salmasius ad Spartiani Hadr. c. 20. et B. Neque tamen ullum eius rei exemplum certum adhuc vidi. v. Ramsh. L. G. p. 346. An legendum *ullus insequentum?*

10. *extimam saliva*] Salmas. Orellius. *extimam salivam* vulgo. Iunge *nec ullus insequentum saliva sparsit ab ore caudam extimam.*

16. *hoc situs*] duo Anacreonteorum generi in hoc carmine reperiuntur, de quibus Hermannus in Elem. D. Metr. p. 475 sqq. egit; alterum

iambicum, ut in v. 1. 3. 5. 7. 9. 10. 13. 15.; alterum choriambicum, ut in v. 2. 4. 6. 8. 11. 12. 14. 16.

212.

Anth. II. 97. ex Spartiani Hadriano c. 16. Floro rescripsit *Hadrianus* in carmine, quod supra n. 207. dedi. Charisius p. 113. citat *Annaeum Florum ad Divum Hadrianum Poematis delector.* Salmasius L. Annaeum Florum, qui epitomen historiae Romanae scripsit, intelligit, cui adsentitur Bernhardy Röm. Litt. p. 277. Burmannus inscripsit *Iulii Flori,* nescio qua auctoritate fretus. Conf. Weichert. Poet. l. Rel. p. 369. Fiedler. in Scriptt. H. R. minor. p. XVI.

2. *ambulare*] pronuntiandum *amblare.*

213.

Anth. I. 20. Wernsd. Poet. T. II. p. 537. Octo sequentia epigrammata in pluribus mss. coniuncta leguntur, ita ut in ms. Salm. totius carminis sit titulus *Flori de qualitate vitae,* in ms. Thuaneo 8071. *Floridi de qualitate vitae.* Eo vero ordine, quo in mss. Salm. Thu. leguntur, quoque a Lipsio in Elect. I. 5. vulgata sunt, edidi. *Eidem* L. Annaeo Floro historico, cui praecedens vindicatur, a Salmasio ad Spartiani Hadrianum c. 16. T. I. p. 155. tribuuntur, a Wernsdorfio Poet. T. II. p. 503. et T. VII. p. 22. L. Vibio Floro nescio cui poetae. — Versus trochaici tetrametri catalecti.

1. *vitium*] *vitum* Thu.

3. *venulis*] *venilis* ms. Salm.

4. *ducat*] *dicat* Thu.

versus usum in alterum] Salm. *versus usum in altero* Thu. *versum usus vinalteros* ms. Salm. *versum usus in alteros* Heins. (adversus metrum, monente B. Add. T. I. p. 719.). Illud *versus usum in alterum* valet liquor corruptus.

214.

Anth. III. 114.

1. *omnis mulier*] *omnis mulier intra pectus celat ulcus pestilens* Bouhier. ad Pervigil. Ven. 31., sed vel sic versum hunc correctione laborare censet Schraderus Add. T. I. p. 743. — *Omni' mulier intra pectus viru' celat pestilens* Eldick. Spec. Suspic. p. 217. — *Mulier intra pectus omnis celat ulcus pestilens* Piersonus Add. T. II. p. 739.

215.

Anth. I. 17.

3. *vite et radio conferunt*] Salmas. ad Spartiani Hadrian. c. 16. — *vitae et radio conserunt* ms. Salm. *ambo de comis calorem et ambo radio conserunt* Thu. *calorem et ambo radios conserunt* vulgo. *ambo de donis calorem, vite, radio conferunt* Schraderus, quia versus trochai-

cus quinta sede trochaeum requirit. — **Bacchus calorem gignit vino, sole** Apollo.

216.

Anth. III. 265.

1. *arbores*] *arboris* Thu.

3. *fuit exinde*] Schrader. Emend. p. 109. *fit exinde* vulgo, obstante metro. *fit deinde* Scriver.

4. *ardor*] *arbor* Thu.

217.

Anth. III. 113.

1. *ab alvo*] metro violato. *abs alvo* vel *ex alvo* Pith. *ab utero* Schraderus.

2. *falsa contub.*] *prava cont.* Heins. *infausta cont.* Eldick. Spec. Suspic. p. 218. Sed *falsa* valet prava, quod latuit Heins. atque Wernsd., monente Wakefieldio S. Cr. V. p. 68.

218.

Anth. III. 111.

1. *offucias*] *officia* ms. Salmas. a 1. manu. *offugia* Thu.

2. *orbem*] *urbem* Thu.

3. *malim*] *malum* Thu.

219.

Anth. III. 112.

1. *est habere*] *est habere habere nummos* Thu.

2. *pudor*] ms. Salm. *pavere* vulgo. *pavor* Lips. Heins. Schrader.

220.

Anth. III. 115.

1. *fiunt*] *sunt* Wernsdorf. errore.

221.

Anth. III. 291. Ex eodem codice, quo epigrammata Flori priora, Salmasius edidit ad Spart. Hadrian. c. 16. — Wernsdorf. Poet. lat. M. T. VII. p. 124.

1. *amoeni*] *amoenae* mss. Salm. et Divion.

2. *dies*] *die* ms. Salm. *diae* ms. Leid.

spicula] spicula gemmae sunt tenuissimae adhuc et acutissimae, *pyramides* maiores et ima parte crassiores, *calathi* iam supra tument inferiore parte angustiore, explicantibus se iam et intra dehiscentem calicem latiora sibi spatia quaerentibus foliis. — Gesnerus in Thes. s. v. *rosa.*

3. *pyramidas*] Florus *pyramidas* vocat, qui Plinio *alabastri*, et *calathos*, quos ille *calices*. Salm. ad Solin. p. 72.

maiore] *maiora* ms. Leid. a 1m.

4. *calathos*] *gallatos* mss. Salm. Leid. *tertia lux calathis* ms. Divion.

222.

Anth. II. 174. B. inscribit *C. Sulpicii Apollinaris grammatici in Aeneidem Virgilianam.* In Donati vita Virgilii c. 15. Sulpicii Carthaginiensis esse epigramma legimus. Sulpicio Carthageniensi tribuit ms. Voss. Ac fortasse sub hoc Sulpicio Sulpicium Apollinarem, qui comoediarum Terentii argumenta composuit, intelligere possumus. Idem celeberrimus fuit grammaticus, eumque Gellius (Noct. Att. XVIII. 4.) adolescens cognorat. Nec alius erat praeceptor Helvii Pertinacis referente Capitolino in vita Pertinacis c. 1. Super Virgiliano versu lectionem Sulpicii citat Gellius IV. 17. Quamquam autem Burmannus quoque ad Anth. II. 194. in hac opinione acquiescat, diversam tamen rationem amplecti malim, si quis auctorem huius et sequentis carminis grammaticum aevi serioris, ut eius, quo Luxorius vixit, fuisse contendat. Nec impedit Donati auctoritas, quominus in ea sententia simus, praesertim cum Vita Virgilii non Donato, aequali Hieronymi (a. 355. p. C.), *sed alii grammatico* inferioris aetatis tribui debeat. Conf. Schopeni *comment. de Terentio* p. 33.

3. *Variusque*] *Varusque* vulgo.

5. *Pergamos*] ms. Goth. ap. Duebnerum in Iahnii Ann. T. VIII. P. III. 1828. p. 309. *Pergamon* vulgo.

223.

Anth. II. 194. In ms. Vossiano Sulpicio Carthageniensi adscribitur.

5. *Aeneas*] *Aenean* — *referre* ms. Voss.

8. *ac tum dolus*] *ac Danaum dolus i. hosti* vel *urbi* Francius.

11. *ablatus*] Tollius. *allatus* vulgo. *alatus* ms. Voss.

15. *Heleni*] *Eleni* vulgo.

16. *Cyclopas*] *Cyclopes* vel *Cyclopum* Oudend.

19. *dolore*] *calore* Schrader. Add. T. II. p. 726.

20. *veneratur*] *venatur* B.

24. *morte fugam*] i. e. pari facinere (morte violenta) Aeneae factum (fugam) imitari.

30. *Iunonem mentita*] *Iunonis mutata* Heyn.

31. *fatus*] ms. Voss. *fatur* vulgo.

32. *obiit*] Schrader. Add. T. II. p. 726. *adiit* vulgo.

35. *reditura sub ortus*] i. e. umbras in terram redire cupientes.

39. *causa opus*] i. e. post Caietam sepultam disceptatio vel lis oritur.

40. *Tyrrhidae*] Tyrrhida pro Tyrrho.

41. *suasit*] scil. Latinus.

48. *tuque opere*] *tamque opera ista stupet. factis labor addidit artem.* B.

50. *sumat*] int. Turnus.

53. *petunt*] *petit* vulgo.

59. *laudaem*] *Lausus nam fecerat iram* vel *Lauso* Oudend.

68. *pugnae neces*] *pugnae vices* Oudend.

69. *secreto*] *sed recto* Oudend. *Percussa intercipit hostis Foedera: secreto violatur vulnere teli Aeneas. Caussa est illi Iuturna: neganti Affuit obsequio. Iam Mars finiverat iram.* Heyn.

224.

Anth. II. 237. Hoc epigramma ex Anthologia delendum erat, quia versus sunt ex Terentiani carmine de metris v. 2182 — 2187. Vulgo putatur, in fine seculi primi vixisse Terentianum. Id verum esse nego.

6. *inpotens ultor*] *ultor impetus tui* vulgo.

225.

Anth. III. 99. ex Barthii Advers. XV. 17.

1. *principium*] senarius corruptus. An

principium vitae nostrae obitus meditatio est?

2. *peccare nesciens*] *peccati nescius* B.

3. *fructus*] Barth. *strictus* ms. *immoderatae irae fructus est insania* B.

4. *credens est*] *credens fert* B. recte. *credere est* Barth.

5. *argentum et*] litera *m* non eliditur.

226.

Recepi ex Appuleii Apologia p. 391. ed. Bosscha, ubi Appuleius hoc epistolium, quod Ludicris suis insertum erat, recitat. Deest in Anthologia Burmanni.

2. *mundicinas*] Lipsius. *munditias* mss.

227.

Anth. III. 230. Extat in Appuleii Apologia p. 401. *Venio ad ceteros versus, ut illi vocant, amatorios, quos tamen tam dure et rustice legere, ut odium moverent. Sed quid ad magica maleficia, quod ego pueros Scribonii Laeti, amici mei, carmine laudavi? An ideo Magus, quia poeta? — Recitem denuo, ut sciant me eorum non pigere.*

1. *delicies sit*] *delicies stet salva* ms. Pithoei. Correxit Bosscha. i. e. sine quaeso, Charine, ut et Critias sit mea delicies: pars, quam tu in amore meo habes, tibi, o vita mea, nihilominus salva remanet. — Appellat Appuleius filios Scribonii Laeti, quos simulatis nominibus Critiam et Charinum vocat: alia enim proprie nomina habebant, ut in eo loco, quem mox laudabo, ipse profitetur. — *delitescet salva* ms. Florent. *et Critias, mea delicia, et Sol alme Charine, Par in amore meo vita tibi remanet.* vulgo.

3. *nam me*] *ne me* vulgo.

4. *potior*] *potiar* vulgo.

228.

Anth. III. 229. Extat in Appuleii Apologia p. 402. *Recitem nunc et alios, quos illi quasi intemperatissimos postremum legere. — Habes crimen meum, Maxime, quasi improbi comissatoris de sertis et canticis compositum. Hic illud etiam reprehendi animadvertisti, quod, cum aliis nominibus pueri vocentur, ego eos Charinum et Critiam appellitarim. Eadem igitur opera accusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit, et Ticidam similiter, quod, quae Metella erat, Perillam scripserit.*

3. *Critia, lux*] *uti Critiae lux* vulgo.

10. *savia*] *suavia* vulgo.

11. *animam inspires*] i. e. atque adeo, si carmina facere voles, et dona mea et carmina mea, tuis victa, iacebunt. *dona* pro substantivo habeo, non pro imperativo. — *Quod si animum inspires, dona et iam carmina. nostra Cedent* vulgo.

Quod si Amor inspiret, dona et iam carmina. nostra etc.

Piersonus Add. B. T. II. p. 747. Bosscha interpretatur: Quod si tum quoque fistulam inflare coeperis, quum munere tuo superaveris dona mea; iam quoque carmina nostra tuis cedere debebunt.

Quod, si animam inspires dono, iam carmina nostra

Wakef. ad Lucret. IV. 1187. *et tenet adsuctis humectans oscula labris.* „Vulgo *dona et*, quae doctos viros prorsus ludificata sunt.“ — *quod si aulum inspires, dona et iam carmina nostra Cedent* Salm. ad Solin. p. 82. „*aulum* pro tibia, graecam vocem, usurpavit.“ —

229.

Anth. III. 174. Extat in Appuleii Metamorph. p. 311. *Sed infortunatissimae filiae miserrimus pater suspectatis coelestibus odiis et irae superum metuens, dei Milesii vetustissimum percontatur oraculum, et tanto numine precibus et victimis ingratae virgini petit nuptias et maritum. Sed Apollo quamquam Graecus et Ionicus propter Mileti conditorem sic Latina sorte respondit* etc.

1. *desiste*] *susiste* et *subsiste* mss. *scopulosis siste* Oudend.

4. *vipereum malum*] i. e. Cupidinem.

8. *flumina quem*] *fluminaque* vulgo.

230.

Anth. III. 251. Scriverius exemplari suo editionis Pithoeanae adscripserat, Scaligerum credidisse, hoc carmen a Mureto confictum esse, idque sibi in sermone familiari an. 1604. narrasse. Ex Add. B. T. I. p. 746. Idque verum puto.

231.

Anth. I. 31. Aetas Modestini incerta est. Eum enim esse Herennium Modestinum, iurisperitum celeberrimum, qui circa annum 240. p.

C. vixit, quoque praeceptore usus est Maximinus Iunior (v. Capitolini Vit. Maximini c. 1. T. II. p. 60.), quis pro certo dicat? Multo magis eumdem esse existimo illi, qui argumenta Iliadis scripsit, et grammaticus serioris aetatis fuit.

1. *alite somno*] *aside somno* ms. Salm. Leid.

2. *pallentis roris*] *myrti inter frutices pallentis, floris in umbra* Med. Wakker. Amoen. p. 135. Ruhnkenius ap. Wakkerum *albentis roris in herba* mavult ex Ovid. Fast. III. 880. *canuerint herbae rore recente quater.* „Fortasse *ros pallens* pro rore marino dici potest, etsi nullum recordor locum, in quo simpliciter ros pro rore marino dicatur." Klotz. in Act. Erud. 1759. p. 694.

4. *saeva*] ms. Voss. *sacra* vulgo. v. Add. T. II. p. 703.

5. *ait*] postrema longa in arsi.

6. *Scylla, metamus*] *Scyllam et amus* ms. Salm.

8. *Dido et*] neglecta elisione. *Dido ait et* Oudend.

9. *Evadne*] M. Wakker. „hiatu in his frequenter obvio." *Evadnes* vulgo. *Euhadnes* Oudend.

10. *inquit Biblisque*] *inquit* in ms. Salm. legitur. *Hunc, Arethusa, in aquis; Byblis, in fonte necemus* vulgo.

232.

Anth. III. 258. Wernsdorf. P. L. M. T. III. p. 404. Edidi hoc epigramma ex ms. Voss. ubi inscribitur: *Carmen Galici imperatoris dum sponsum et sponsam ad lectum mitteret.* (Addenda Burmanni T. I. p. 747.) Aliter paulo idem laudat Trebellius in Gallienis II. c. XI. T. II. p. 214. *Fuit Gallienus oratione, poemate atque omnibus artibus clarus. Huius est illud epithalamium, quod inter centum poetas* (i. e. inter epithalamia centum poetarum) *praecipuum fuit. Nam cum fratrum suorum filios coniugaret et omnes poetae graeci latinique epithalamia dixissent, idque per dies plurimos, cum ille manus sponsorum teneret, ut quidam dicunt, saepius ita dixisse fertur:*

Ite, ait, o pueri, pariter sudate medullis
omnibus inter vos: non murmura vestra columbae,
brachia non hederae, non vincant oscula conchae.

1. *ite simul*] *Ite agite, o iuvenes: et desudate medullis*
omnibus etc.
brachia non hederae, non vincant oscula conchae.

vulgo.

3. *oscula conchae*] oscula cum conchis comparantur, quia saxis artissime inhaerent.

4. *Ludite*] Hoc distichon deest in ms. Voss. et apud Trebellium.

233.

Anth. V. 143. Duas editiones huius elegiae esse constat, alteram longiorem, quam Goldastus inter Erotica et Amatoria opuscula Francof.

1610. p. 71. et Wernsdorfius in Poet. lat. M. T. VII. p. 178 et 279. secutus est, alteram breviorem, quae in Schotti Observatt. hum. II. 51. p. 101. et in Burmanni Anth. legitur. Prior editio carmen maius de philomela atque de vocibus aliarum avium quadrupedumque continet, editio autem minor resecuit ea, quae universe sunt dicta, *nihil* fere relinquens nisi versus illos, qui vocabularium vocum avium continent. De aetate Albi Ovidii Iuventini, qui in Goldasti ms. auctor carminis esse fertur, nihil adhuc constabat. Conf. Fabric. Bibl. lat. lib. I. c. 15. Sed G. Bernhardy hoc carmen aliaque de vocibus animalium poemata ab aequalibus Antonini Getae, imperatoris, qui circa a. u. 940. p. C. 187. vixit, composita esse docuit (Röm. Litt. p. 135.). Wernsd. antea T. I. p. 316. hanc elegiam Citerio Sidonio Syracusano, Ausonii aequali, tribuerat.

1. *Dulcis*] aliter incipit poeta apud B.

Scribere me voces avium philomela coegit,
Quae cantu cunctas exuperat volucres.
Nam philomela canit vocum discrimina mille,
Et cantare simul nocte dieque potest.
Parrus enim etc.

9. *parus*] *parrus* vulgo.

20. *at sua vox nulli*] Gold. Wernsd. *vox eius nulli* vulgo.

21. *palara*] *dulce pelora — droscam* vulgo. *parala* B.

26. *tunc mitilans*] Gold. Wernsd. *tempore rurilulans* vulgo. *rure sibilans* B.

27. *tunc turdus*] scripsi *tunc* i. e. vero. *dum* Gold. Wernsd. *et* vulgo.
pusitat] *parsitat* vel *pisitat* B.

29. *caccabat*] *cacabat* vulgo.

32. *tetrinit*] *tritinnit* vulgo.

35. *gracillat*] Gold. Wernsd. *cacillat* vulgo.

30. *tristia flendo pipit*] Aldin. Wernsd. *tristia flendo ripit* Gold. *passer solstitia recolit* Schottus, vulgo *pessimus ut passer, sic titiare solet* B.

34. *et audit*] construe: *et ait scurrili strepitu, quidquid audit.*

37. *bubulat*] Gold. Wernsd. *bubilat* vulgo.
carmine] Gold. Wernsd. *murmure* vulgo.

40. *cucubat*] *tutubat* Boxhorn.

42. *butio butit*] *buteo* ex Festo corrigit B. *butio buttit* vulgo.

44. *zinzilulare*] Gold. Wernsd. *tintinulare* vulgo.

45. *scribere*] Hoc distichon in B. edit. deest.

47. *sed iam*] aliter vulgo:

Quadrupedum quoque nunc audi discrimina vocum,
quae retinent voces, sunt ut eis species.

51. *dum lynces hircando*] Gold. Wernsd. *lynces cando fremunt, ursus nec non ferus uncat* vulgo. *lynx hircando fremit, ursus nec non ferus uncat* B.

52. *ast lupus ipse ululat*] Gold. W. *porro lupus ululat* vulgo.

53. *glocitant*] totum distichon ex Gold. dedi.

et barrus barrit, cervi clocitant, equus hinnit:
ast taurus mugit et mugilant onagri

vulgo, et W.

55. *tardus rudit, oncat asellus*] Gold. W. *quiritat verres setosus et oncat asellus* vulgo.

56. *blatterat*] B. *blacterat* Ald. Vossius Add. T. II. p. 699. *blaterat* vulgo. *braterat* Schott.

57. *pascens*] Gold. W. *subigens* vulgo.

58. *miccire*] Gold. W. *micere* vulgo.

60. *glaucitat*] Gold. W. *glutinat* vulgo.

63. *ecce*] Gold. W. *nempe* vulgo.

69. *Domino*] creatori deo vulgo explicabatur. Bernhardy Getam dominum intelligit.

70. *sive sonare*] Gold. W. *seu semper sileant nocte dieve canant* vulgo.

234.

Anth. V. 113. In mss. inscribitur *C. Iulii Solini Polyhistor Ponticus*, in ms. Regio Salmasii ad finem Polyhistoris Solini legitur *Incipit eiusdem Ponticon*. Titulus, ait Salmasius, in Prolegg., operi fuit *Ποντικά*. Melius inscripsisset *Πόντια*. Res enim marinas, hoc est, animalia maris, pisces omne genus eo libro enarraverat, vel, ut ipse ait, *aequoreas catervas*. Wernsdorfius autem in Poet. T. I. p. 208. a Salmasio discedens hoc titulo *Ποντικῶν* indicari docet, Solinum non omnes omnium marium pisces, sed eos tantum enarrare voluisse, qui in Ponto invenirentur, praesertim cum nullum mare piscium multitudine et praestantia esset celebratius quam Pontus. Porro Scriverius idemque Wernsdorfius maioris quam pro Solini ingenio spiritus carmen esse rati, Chorographiae Varronis Atacini vindicarunt. Contra Fr. Wüllnerus in comment. de P. Varrone Atacino p. 53. aetatem atque indolem Solini hos versus non excedere profitetur: cui assentior.

1. *Ponto*] i. e. in mari Pontico. Wernsd. — *ponto* minuta initiali vulgo.

2. *aequoreas spirantis*] ex ms. regio Salm. *Mare molle spirans* Solinus putat, eorum opinionem sequens, qui Oceanum quasi corpus quoddam vivum spirare, ex eoque spiritus reciprocatione accessus et recessus fieri in maribus existimabant. Salmasius ad Solini c. 18. p. 151. ed. Traiect. eumque sequitur B. *salis aequorei spirantis* (i. e. spirantes molle catervas) Pith. Scalig. „Quod ineptum est. Nam *sal aequoreus* idem est, ac si dicas *mare aequoreum*.“ Salm. l. l.

6. *purpureis*] *purpurei dum sanguinat unda profundi* Lindenbr. H. *sanguinat*] i. e. rubet.

7. *placido — mundo*] i. e. non irato mundo erzeugt aus zartem sanftem Element.

11. *gemmavit*] *gemmare* proprie gemmas emittere vel *gignere* notat, hoc loco *astrigeram faciem gemmavit* nihil aliud significat quam *astra creavit*, ita ut astra gemmare eadem figura dicatur, qua alias *aedificare domum* et similia. Simplicius autem esset *astrigera facie nitido gemmavit Olympo.* Sic enim Ennius ap. Charisium p. 81. *Purpureis gemmavit pampinus uvis.*

13. *fundata*] ex ms. reg. Salm. *librata* vulgo, utrumque eodem sensu; alterum in Ovid. Met. I. 12. legitur.

14. *aetherias*] i. e. locum, quem in aethere tenent. *aeternas* Barth. Adv. XLIV. 3.

15. *suis*] i. e. propriis.

18. *pios*] i. e. benignos et faventes. *tuos* Scriver.

20. *litata*] i. e. placata.

21. *libemus*] litus tantum peragrare ad eruendas ostreas vult. Wernsd. — Wüllnero hic versus ineptus esse videtur.

[illegible] *Tempea coetu*] *Tempea citu* mss. Pith. Reg. *cava tympana* [illegible] Tollius, qui *Tritonas* intelligit. *Cava Tempea* Solinus profunda maris appellat, in quibus Nymphae ac Nereides domicilia habent: Tempe enim hic loca amoena maris dicuntur (die schönen Thäler des Meeres).

[illegible] *resono — coetu*] ad *coetu* int. aquarum. Ihr auch, die ihr ein weites Tempe im brausenden Kessel des Meeres bewohnet. Quid *citu*, quod in mss. legitur, sit, ignoro. Substantivum enim quartae declinationis, *citus*, a *cieo* flexum, quodque strepitum significet, in usu non est.

235.

Anth. I. 178. In Gallica editione Poetarum Wernsdorfii T. VII. p. 441. legitur. In ms. Salm. et Leid., ubi reperitur hic cento Virgilianus, auctor non nominatur. Sed Tertullianus de praescript. Haeret. c. 39. Hosidii Getae Medeam ex Virgilii versibus conglutinatam citat, ita ut nostram esse hanc veri sit simile. *Vides*, ait Tertullianus, *hodie ex Virgilio fabulam in totum aliam componi materia secundum versus, versibus secundum materiam concinnatis. Denique Hosidius Geta Medeam tragoediam ex Virgilio plenissime exsuxit. Meus quidam propinquus ex eodem poeta inter cetera stili sui otia Pinacem Cebetis explicuit.* Alii ridicule olim hanc Medeam Ovidio tribuere, alii eum Hosidium Getam, qui sub Claudio consul fuit a. u. 800., intelligunt, quem propagavit errorem Baehr. R. Litt. p. 89.

18. *oblitusve sui*] *oblitusve suae* ms. Salm. Klotz. in Antib. p. 72., ita ut Medea se ipsam indicet, quae Iasonis fuerit.

41. *medioque* etc.] inseruit B.

53. *errans*] ms. Salm. Leid. et Virg. Ae. IV. 211. *erras* vulgo. Int. *es.*

hostis] *hospes* Schrader. et Pierson. Add. T. III. p. 713.

57. *non ea*] Creon haec loquitur apud B.

65. *testor*] inserit Oudend.

71. *natum*] Med. Wakker. p. 158. *natam* vulgo. Verba sunt Medeae ad Creontem, monentis, ne sineret Creusam Iasoni in matrimonium venire.

88. *quid causas*] versus iusto minor. Alterum hemistichium ex Aen. VIII. 395., alterum ex Aen. VIII. 386. *Quid causas petis aut in me exitiumque meorum* Scriver. vulgo. *Quid causas petis ex alto excidiumque meorum* B. Conf. v. 94. 173. 212. 213. 227. 228. 378. 447.

135. *ramo*] Oudend. hunc versum vel delendum vel post v. 142. *ausus* etc. ponendum existimabat.

157. *fateor, arma*] B. *fateor, me, arma* vulgo.

163. *sensibus haec*] Higtius ex Virg. Ecl. III. 54. Add. T. II. p. 713. *sensibus hic* vulgo.

167. *hac gener*] Med. Wakker. p 158. ex Virg. Aen. VII. 317. — *haec gener* vulgo.

172. *sequentur*] B. ex Aen. XII. 153. *sequuntur* vulgo.

180. *aut pugnam*] post hunc v. excidit aliquid, ut *Mens agitat, certum est sceleratas sumere poenas* ex Aen. IX. 153. et II. 576. B.

191. *surgere*] deest *videtur*, quod ap. Virg. Geo. I. 396. legitur.

192. *Media*] deletur a Med. Wakkero p. 159. — B. delevit *nigrisque*.

210. *erepta*] ex mss. Schrader. Add. T. I. p. 727. — *erepte* vulgo.

212. *tangit honos*] metrum est corruptum, nec aliter in v. sequenti.

Tangit honos animum, et mensas quas advena adisti,
Per connubia nostra, per inceptos hymenaeos.

B.

217. *rauca*] ex Aen. V. 866. — *dum rauco adsidue longo sale saxa sonabant* vulgo.

226. *seminaque et tauros*] B. ex Geo. II. 140. *semina et aeternos* vulgo.

227. *obieci, satis*] *obieci, unde satis* B.

236. *manum patiens*] Schrader. Add. T. I. p. 727. ex Aen. VII. 490. *manu patiens* vulgo.

254. *quaesitae*] Klotz. in Antib. p. 73. *quaesitas* vulgo ut in Aen. VII. 423.

256. *haec loca*] post h. v. excidit *invertere satis inmanis dentibus hydri* ex Geo. II. 140.

269. *natos, Veneris*] sic interpunxit Med. Wakker. p. 160. *natos Veneris, nec* vulgo.

270. *quid petis aut* etc.] Oudend. *quid petis causas et inrita i. i.* vulgo.

281. *omnes, dare*] ita scripsi. *omnes et dare* vulgo.

283. *te sine, frater,*] ex Aen. XII. 883. — *Te sin frater erit.* vulgo.

298. *patrias*] *patris* vulgo errore typogr. Add. T. I. p. 727.

7*

309. *graviter*] Hi duo versus intelligendi sunt de Orpheo Eurydicen lugente. Ideo supplevit Schrader.:

Qualis miserabilis Orpheus
Graviter pro coniuge saevit etc.

Add. T. I. p. 727.

314. *rumpit pavor*] int. *rumpit me*, ex Aen. VII. 458. B. supplevit *rumpit*, quod vulgo abest. *surgit pavor* Klotz. in Antib. l. l.

316. *tarda, atque*] B. vulgo desunt.

343. *tum visaeque*] Oudend. addit *tum*, quod vulgo deest.

358. *paras, luctu*] ita scripsi. *paras et luctu* vulgo. *paras, luctu et miscere* Klotz. in Antib. l. l.

378. *erige, tuque*] *erige, iam tuque* vel *erige tu, tuque ipsa* Oudend.

387. *aut qui tibi nostri pulsus a.*] corruptum. Excidit aliquid.

392. *labi a corpore tanto*] *laniatum corpore toto* B.

431. *illa per et scopulos*] Higtius ex Geo. III. 276. *illa ut per populos* vulgo.

438. *fui*] *sui* vulgo.

443. *manus, luctu*] *manus et luctu* vulgo.

444. *me*] B. *te* vulgo.

236.

Anth. III. 89. *Porfiri anaclici* ms. Salm. *Porphiri* man. 2da. *Rufini versus anacyclici* ms. Divion. prob. B. — Wernsdorfius autem, quem secutus sum, in T. I. p. 671. hoc carmen cum ceteris eiusmodi epigrammatis Publilio Optatiano Porphyrio vindicat. Is circa tempora Constantini Magni vixit, teste Fabricio in Bibl. med. et *inf. aet.* T. V. p. 169., et singulari ad carmina difficillimi lusus componenda ingenio instructus erat. Nam praeter artificiosum illum Panegyricum in Constantinum Magnum, qui apud Pithoeum legitur, Aram, Syringa et Organon, quae Wernsd. ibidem edidit, fecit. Inter Graecos Nicomedes Heracleota carmina *ἀνακυκλικά* composuit, qualia in Analectis Brunckii T. II. p. 382. legimus.

237 et 238.

Utrumque recepi ex adnotat. Sirmondi ad Sidonium Apollin. *p.* 101. In primo exemplo pentameter in pentametrum alterum redit, *in secundo* versus heroicus in Sotadicum. Prior versus in Panegyrico Porphyrii legitur p. 246. ed. Pith.

239.

Versus reciproci eiusdem fortasse Porphyrii, qui apud Diomedem III. p. 515. leguntur. Conf. Gaisfordii Index in Hephaestionem p. 565. ed. Lips.

240.

Anth. III. 103. Extat in Fulgentii Virgiliana Continentia pag. 158.

Burmannus alii Porphyrio et diverso ab eo, cuius praecedentia sunt epigrammata, id tribuit; sed Wernsdorfius eum refellit T. I. p. 675 seq.

1. *pauxillum*] Fulgentius. *pauxillam* Muncker. *pauxillo* vulgo.

3. *nam, ut ne aliud*] Muncker. *num ut aliud* vel *ut non aliud* mss. *nam, ne aliud* vulgo.

4. *quanto*] *quam tu* Heins.

241.

Anth. I. 102. *De Hectore Pompilianus* ms. Thuan. *de Hectore Maximino* ms. Petav. *Hectoris Troiani Virorum strenuissimi tumulus* ms. Voss. Pithoeus et Scaliger Pentadio tribuunt. Wernsd. Pentadii elegias et epigrammata edidit in Poet. Lat. Min. T. II. p. 309. „Pentadius", ait ille, „Porphyrio ut aetate par, ita ingenio et gustu poeseos perquam similis est, quod singulari, ut ille consuevit, artificio et schemate quamquam multo tolerabiliore nec ineptiis indulgente carmina sua componere et exornare voluit. Vocari id genus carminis, quod usurpavit, serpentinum vel ophites solet, quando finis revolvitur eodem, unde venerat, et perpetui orbes versuum componuntur." Exemplum huius versuum generis in epigr. sequenti legimus. Pentadius is est, cui Lactantius epitomen Institutionum Divinarum inscripsit. De carminibus Pentadio inscriptis B. agit ad Anth. III. 105.

2. *alter*] *ater* Thuan. Petav.

erat] *erit* Petav.

3. *violentis ictus*] Thuan. *violenter hictus* ms. Voss. *violenti fractus* Voss. 2. *violenti victus* vulgo.

8. *quos fletus Hecube*] i. e. quot lacrimas effudit, ut Virg. Aen. IV. 570. *Nam lacrimas victus dedit? quos* pro *quot* ut ap. Ciceronem VI. Verr. c. 21. *quos putatis fletus mulierum, quas lamentationes fieri solitas in hisce rebus? quot fletus Hecubae, quot dedit Andromachae* B. inprob. Klotzio Act. Erud. 1759. p. 697.

10. *hac tumulavit*] *accumulavit* ms. Voss. *atumulavit* Petav.

242.

Anth. I. 139. *Pintadi* ms. Voss. Thu. 8071.

1. *pater*] Cephissus.

2. *undas*] *amnes* Wernsd.

3. *patrem*] *patrem esse dum* ms. Voss. 2m. — *puerum* Piersonus, sic Ep. 143. *Dum putat esse parem vitreis Narcissus in undis.* Ex Add. B. T. II. p. 710.

quaerit] *quaerat* Thu.

in amne] *inanem* ms. Salmas.

4. *lacu*] *lacus* Thu.

5. *quod*] *quo* Heins.

7. *stat*] *flet* Heins. Conf. III. 253, 20.

243.

Anth. I. 140. In ms. Voss. *Pintadi* inscribitur.

1. *proprios mediis in*] ms. Salm. *proprios mediis in fontibus ingens* Thu. 8071. *propriis .... in fontibus* ms. Voss. *propriis Narcissus fontibus ignes* vulgo.

2. *deceptum urit*] mss. Salm. Voss. Thu. Similiter Catullus 63, 44. *Speret nec linguam esse, nec auriculam.* Conf. Santen. ad Terentian. v. 1778. *deceptum torret* vulgo. *deceptum ludit* B. improb. Klotzic, quia epigrammatis acumen in eo consistit, ut aquae poeta flammas tribuat.

244.

Anth. I. 141. *Pintadi* ms. Voss. Thu.

1. *hic*] *hoc* ms. Voss.

credidit] *creditur* ms. Salm. Thu. Voss.

3. *cernis ab*] Higtio videbatur esse epigramma in Narcissum florem, in ripa irrigua surgentem, et significari, eum e prato in ripam ad flumen propius esse translatum, ut crescat ab aquis, quibus periit, ideoque et legendum videbatur:

Cernis ab irriguo repetentem gramine (vel *margine*) *vitam,*
Ut, per quas periit, crescere possit aquis.

(Add. T. II. p. 710.) *cernis ubi irriguo* Heins.

ripas] ms. Salm. *ripam* vulgo [Corrige context.]. Narcissum florem vides amantem ripas rivorum, quia herba est irrigua, vel solo irriguo indiget.

4. *aquas*] int. ut per aquas, per quas periit, c. p. — *ut puer quas p. c. poscit* mss. Voss. Thu.

245.

Anth. III. 88. mss. Salm. et Voss. Pentadio tribuunt, ms. Thuan. 8069. Pentade, ms. Simeonis Bosii Ausonianus Ciceroni inscribit, in Catalectis Petronianis Q. Ciceroni, ab aliis Ausonio aut Petronio vindicatur.

3. *est*] om. mss. Salm (teste Boissonadio ad Nicetae *lib. III.* 332.) Voss.

una] mss. Voss. Thuan. Boissonad. *ulla* vulgo.

4. *bona*] mss. Salm Voss. Thuan. Boisson. *bona est* vulgo. In Thuan. 8071. neque a 3tio neque a 4to versu abest *est*, teste Sillgio.

246.

Anth. I. 142

247.

Anth. I. 148. Inter Cataniam Messinamque saxa Cyclopia in ora maritima surgunt, quorum unum ab incolis *Rocca d'Iaci* dicitur, quia hic a Polyphemo Acis interfectus esse traditur. Hic ipse scopulus epigrammatis argumentum est. Cf. Münter Nachrichten von Neapel und Sicilien p. 456.

1. *Acidos*] v. Ovid. Met. XIII. 884.

2. *iugis?*] punctum interrogationis addidi.

3. *Cyclopei*] penultima longa, quae alias brevis esse dicitur. Sed *Cyclopius* ibi valet, ubi brevem penultimam poscimus.

4. *Nympha*] Galatea.

6. *vehit*] *dedit* B. — Fluctus resonare videntur nomen Acidis.

7. *neque*] *nec* vulgo.

248.

Anth. I. 165.

1. *Chrysocome*] Oudend. *Chrysoconte* ms. Leidensis, in quo solo hoc epigr. legitur. *Chrysogone* Burmannus in Add. T. I. p. 725., sed Oudendorpii coniecturam rursus praetulit T. II. p. 74.

249.

Anth. II. 203.

1. *colui*] *servi* Ald. Virgilii.

2. *capras*] *capras arma duces* ms. Voss. *campos rus hostes* ms. Hamburg. *capras rus hostes quaeque labore gravi* ms. Gothanus ap. Dübner. in Iahnii Ann. 1828. T. III. F. III. p. 309.

250.

Anth. III. 93. Pentadio vulgo tribuitur, sed incertum, an codicum auctoritate id fiat: certe melioris aetatis poema esse, quam est Pentadius, adnotat Wernsd. T. II. p. 460. — Hendecasyllabi.

1. *beata*] *veata* ms. Voss.

2. *quod*] *quos* mss. Voss. Scal. *quam* H.

3. *videre*] *virere* ms. Scal. *nitere* H.

4. *lecto*] *toro* ms. Voss.

5. *pluma*] Martial. l. XII. 17, 8. *Dormit et in pluma purpureoque toro.*

8. *arvo*] *auro* ms. Voss. Scal.

10. *sed nullos*] *nec vanos populi favore magni,*
sed nullos trepidum timere casus.

mss. Voss. Scal.

13. *licebit illi*] *licebit, ille* Oudend.

251.

Anth. III. 105. *Pentadi de fortuna* ms. Thuan. 8071. *Pintati* ms. Salm. *Pintadi* ms. Voss.

1. *adsidue*] *assiduo — assiduo* Pith. ms. Salm. *adsuo* Thu.

3. *Progne*] *Prognae, pia dicta* Oudend. — Progne facta est, ut pia erga sororem fuisse diceretur, vel factum est, ut Progne pia esse diceretur.

5. *carmine — carmine*] *crimine — crimine* Schrader. *Carmen* hic pro artibus magicis positum est. *carmina — carmina* Thu.

visa — fuit] Boissonad. ad Nicetae lib. I. 238. comparat *φανεὶς ὤν*, pro quo alii scriptores *ὢν* aut *γενόμενος* adhiberent.

ulta] *ultra* Thu.

7. *ad auras*] int. superas.

8. *abit*] ms. Salm. *habit* Thu. *habet* ms. Voss. *abest* vulgo. — *abit* pro abiit ut *petit*, *subit* pro petiit, subiit. v. Tollius ad Auson. epitaph. Her. 31. Heins. ad Ovid. I. Fast. 109.

9. *poma*] *mora* — *mora* B., quia in fabula Thisbae et Pyrami *mora* a poetis commemorantur, ut in Anth. III. 211, 7. Sed *poma* sunt generale nomen omnium pene fructuum, qui ex arboribus sunt, imo nuces quoque his comprehenduntur.

tristi nece] *Sanguine poma rubent Thysbaeo tincta repente* H.

11. *Minoïa*] *minonia* Thu.

13. *qua*] *quia* ms. Voss. *quam* Thu.

14. *hac*] *ac* mss. Voss. Thu.

15. *adest c., sunt gaudia — adest*] Thu. *adest coelo sunt gaudia* mss. Voss. Salm. *ades c., das gaudia — abes.* vulgo. Boissonad. ad Nicetae l. I. 238. adnotat: „*ades — adest* ms. Salm. *adest — adest* ms. Thu. Scribendum utroque loco *ades*. Leda alloquitur et Pollucem et Castorem. In pentametro ad *ades* subaudiendum ille, *in terra*. Lectio [illegible] cod. *sunt gaudia* et bis *adest* mihi magis etiam placuerit.“ In pentametro quod *alter adest* explico, quod altor tantum, non ambo nati adsunt.

17. *saepe fuit — saepe fuit*] mss. Salm. Voss. Thu. *saepe fuit — et ipse fuit* vulgo. *et ipse fuit — et ipse fuit*. B. Wernsd. vulgatam tuetur.

diri Busiridis] *diribus hiridis* Thu.

18. *Busirisque aris*] *Busiridis horis* Thu. *busiridis oris* ms. Voss.

21. *ausa est*] mss. Voss. Salm. Thu. Boissonad. ad Nicetae l. III. 332. — om. *est* vulgo. Pro *ausa* Schrader. *usa*, iungens *stipite, fatifero fratribus.* — Explico *iuste ausa est* Althaea facinus iustum ausa est i. e. patravit.

23. *flevisti in*] *in* om. mss. Voss. Salm.

Gnosis] *Gnosi* B.

24. *laetaris coelo*] *laetatur caelo* ms. Voss. *laetatur caelos* ms. Salm. *laeta tulit coelos* H.

25. *vexit*] *vixit* Thu.

27. *Tantalis*] Niobe.

28. *adflicta Tantalis*] brevis syllaba in medio pentametro (ut in v. 34.) tum in Catullo, tum in hac Anthologia tam saepe reperitur, ut a mutatione absterreri debeamus. v. Santen. ad Terentian. p. 291 sqq. Eodem modo Pentadius in Anth. I. 140, 2. — *adflicta at Tantalis* H. B. *Tantalis e numero — adflicta est Tantalis e numero* Oudend.

30. *et quae*] *hoc quoque* ms. Salm. Deest vs. 30 et 31. in ms. Voss.

32. *versa*] *mersa* H. idque placet. „*Exquisitius dictum esset mer-*

sa est, sed propterea non verior ipsius quam Pentadii scriptura." Wernsd.

per] *post* mss. Salm. Thu.

34. *animae prima*] mss. Salm. Voss. Thu. *animae primae* Oudend. *animae pretium* H. *animae aeternum lux* vulgo. De brevi syllaba v. ad vs. 28.

35. *laetitiae diversa*] i. e. mala opposita sunt laetitiae vel bonis.

creata] *creati* mss. Voss. Salm.

36. *et iuncta*] *iuncta tam* mss. Voss. Salm. *et iunctam assiduae* Thu. An legendum *at iuncta?*

252.

Anth. V. 69. *Pentadi de adventu veris* Thu. 8071. *Pintadi de adventu Veneris* ms. Voss. *Pintati de adventu veris* ms. Voss.

1. *animantibus*] mss. Salm. Thu. *amantibus* ms. Voss. *moventibus* vulgo.

2. *aquis*] *equis* mss. Salm. Thu. Voss. Eurus tepentes pluvias advehit vere.

fugit] *fuit* Thu.

3. *persentit*] mss. Salm. Voss. *praesentit* vulgo. *persenti cera calores* Thu.

5. *vireta*] *virecta* mss. Salm. Voss.

foliis] *folio* mss. Salm. Voss. Thu.

7. *Ityn*] *sytin* ms. Salm. *modulis tot* Thu.

9. *per*] *pes* Thu.

10. *late resonat*] *latero res.* ms. Voss. *latere sonat* ms. Salm.

11. *sola flatus Eoi*] ms. Salm. *sola patus Eoi* mss. Voss. Thu. *Sol purus Eoi* vulgo. Flatus Eoi est aura Luciferi matutina. Die Morgenluft bemalt den Boden mit Blumen.

12. *Tempeaque*] ms. Salm. *temporeaque* ms. Voss. *temporaque* vulgo. *Tempeaquae* Thu.

14. *voxque*] *bisque* ms. Salm. *usque* ms. Voss. *visque* Thu.

15. *vitea musta*] i. e. der junge Wein. Vitea musta dicitur ut musta olei apud Plinium XV. 1. *Consequens olearum vindemia est, arsque vel maior, olei musta temperandi* i. e. oleum recens.

vincta] H. *iuncta* ms. Voss. vulgo. *iunctas* ms. Salm.

17. *nota tigilla linit — nota tigilla linit*] mss. Salm. Voss. Thu. *Iam motacilla canit — iam motacilla canit* vulgo.

garrula luce] i. e. per totum diem. An *garrula voce?*

19. *iucunda*] cum a B. verbum desideraretur, mutavit

Sub platano viridi iucundus somnus in umbra.

Sed *texuntur*, quod in versu sequenti est, per zeugma ad *somnus* intelligi potest, *somnus texitur* pro capitur. Si cui hoc durum videatur, libenter accipiet coniecturam hancce:

Sub platano viridi iucundat somnus in umbra.

Nam *iucundare* Lactantius aliique sacri scriptores, quibus Pentadius quoque adnumerari debet, frequenter ponunt, teste Bünemanno ad Lactant. IV. 6.

somnus] *summinus* Thu.

20. *viridi*] *viri* Thu.

21. *fila recurrite fusis*] i. e. sic properent anni, so mögen die Faden des Lebens der Spindel enteilen; *recurrere* ut ap. Horat. epist. II. 1, 147.

Libertasque recurrentes accepta per annos Lusit amabiliter.

fusis est pro de fusis, ut ap. Virg. Geo. IV. 348. *Fusis mollia pensa devolvunt.*

253.

Anth. II. 257. Vetus est inscriptio *Epigramma de pastoribus a Citerio Sidonio oratore factum.* Citerium Sidonium eumdem esse ac Citarium Siculum Syracusanum, grammaticum Burdigalensem, quem inter Professores nominat Ausonius epigr. XIII. adnotarunt Vinetus, Scalig., Burmann., Wernsd. in Poet. T. I. p. 574. Sed Torremuzza in Inscriptt. Siciliae Panormi 1784. p. 305. epigramma suspectum et recens esse dicit.

1. *Theon*] *Theo* ms. Voss.

monte] *colle* ms. Voss. 2.

2. *Sabine*] *Sabina* ms. Voss. ut v. 3. *Sabine* ms. Voss. 2.

5. *vite Sabine*] versum spurium censebat Schraderus, quia *Sabine* casu quinto interseritur inter *Almo*, *Theon* et *egerat* (Ex Add. B. T. II. p. 729.). Defendit verborum rationem Wernsd.

6. *melodes*] ms. Voss. *melodis* ms. Voss. 2. *melodus* vulgo.

254.

Anth. II. 173. *De operibus Virgilii. Incerti.* vulgo inscribitur. Barthius Adv. XIX. 24. ex ms. *Alcimo* vel *Alcinoo* tribuit. Sed coniunxi, consilium Wernsdorfii secutus in Poet. L. Min. T. VII. p. 22., plura epigrammata, quae in mss. partim Alcimo, partim Avito, partim Alcinoo inscribuntur, ratus Latinum Alcimum Alethium indicari, qui ab Ausonio inter Professores c. 2. laudatur. Aetatem eius statuit Hieronymus, qui in Chronicis ad a. C. 360. scribit: *Alcimus et Delphidius Rhetores in Aquitania florentissime docent.* Quatuor formae eiusdem nominis in mss. extant *Alcimus*, *Alcinius*, *Alcinus*, *Alcinous*, quae varietas alibi quoque observata est. Vid. Ruhnkenii Hist. Oratt. p. XLII sq. Diversus ab hoc poeta est Alcimus Avitus, episcopus Viennensis, sacrorum carminum auctor. In cod. Huydecoperiano inscribitur *Virgilius de se.*

1. *Romanus*] *romanum* ms. Hamburg. *mellifluum q. Romanum* ms. Voss.

2. *utrumque*] int. Homerum, tum Maeonium, tum Romanum.

3. *illius*] Homeri Maeonii.

miretur] ms. Hamburg. *miratur* vulgo.

4. *at minor*] Homeri carmina maiora sunt quam Virgilii, sed Virgilius plura poëseos genera quam ille excoluit.

mage] ms. Barthii. *bene* vulgo.

5. *defit*] ms. Voss. *non pastor*, *miles*, *nec curvus deerit arator.* vulgo. Hoc distichon deest in ms. Gothano, teste Dübnero.

6. *trina mihi*] Virgilius complectitur tres poetas graecos, Homerum, Theocritum, Hesiodum: in omnibus enim generibus, in quibus hi singuli excellunt, ille princeps fuit; ac continet tantum ingenium, quantum in tribus illis poetis distributum est.

255.

Anth. II. 177. *Alcinii* ms. Voss.

1. *qui*] *quis* Heyn.

256.

Anth. II. 178. Inscribitur vulgo *Alcinoi de Virgilio.* — *Alcimi de Virgilio* ms. Thu. 8069.

2. *tunc*] Thu. *tum* vulgo.

3. *at si*] Thu. *et si* vulgo.

257.

Anth. III. 211. Wernsdorf. P. L. Min. T. VII. p. 134. Alcimi vel Alcinoi nomen inscribitur.

1. *puniceum — malum*] i. e. malum Punicum, der Granatapfel oder Liebesapfel, il pomo di zitto. Veneri sacra erant et amoribus inserviebant. V. Böttigeri Sabina T. II. p. 72.

3. *Cydonia*] int. mala, Quittenäpfel, quae itidem Veneri et Cupidini sacrata erant.

5. *Amarylli*] ex Virg. Ecl. II. 52.

7. *mora*] de moris in fabula Pyrami et Thisbae v. supra epigr. 190, 10.

9. *misit*] *misi dente levi paulo libata placenta*
nectare, de labris dulcia membra suis.
ms. Bineti.

dente levi p. libata] v. Böttig. Sabina T. I. p. 222 et 254.

11. *nescio qui*] ita scripsi, i. e. quomodo. *nescio quid* vulgo.

12. *spirans*] *spirans Cecropio dulcius ore thymum* B. *spirat Cecropio dulcior aura thymo* Oudend. Add. T. II. p. 746.

258.

Anth. III. 212. Hendecasyllabi.

259.

Anth. III. 259. Eidem Alcimo tribuit Wernsdorf. in Poet. L. Min. T. VII. p. [illegible] et T. III. p. 406.

2. *ne candida etc.*] ms. Divion. *nec candita ledas huncuibus hora* mss. Salm. Leid. *nec candida laedas in quibus ora vide* Salm. ad Trebell. Poll. Gallien. c. 11. T. II. p. 214. *nec candida* vulgo.

260.

Anth. V. 150. Alcimo inscribitur in notis Variorum ad Ovid. I. Fast. 455. ed. Cnipping. *De capone fassanatio* ms. Salm. *de capone fassanario* ms. Voss. *de caupone fassanario* Thu. 8071. *de capone phasiano* B. idque edidi. *De gallo gallinaceo* vulgo.

1. *praefulgunt*] mss. Voss. Thu. *praefulgent* vulgo. Formam antiquam et poeticam praetuli.

2. *crista riget*] *crusta* ms. Voss. *ridet* Thu.

3. *inguina*] Thu. *incuina* ms. Salm. *ungua* ms. Voss. *angula* vulgo.

4. *Paestanis*] *paestaniis* ms. Salm. *pestaniis* — *roris* Thu.

5. *distinguit*] Plin. H. N. VIII. 18. *Albis maculis rutilum colorem distinguentibus.*

6. *plumea*] mss. Salm. Voss. Thu. Scalig. *ignea* vulgo.

261.

Anth. II. 114. Hendecasyllabi. Extat in Sidonio Apollinari Epist. V. 8. *Sed triplicibus trochaeis nuper in metrum hendecasyllabum compaginatis nihil meo quidem iudicio simile fecisti —, ut mihi non figuratius Constantini domum vitamque videatur vel pupugisse versu gemello consul Ablavius, vel momordisse disticho tali clam Palatinis foribus appenso. — Quia scilicet praedictus Augustus iisdem fere temporibus extinxerat coniugem Faustam calore balnei, filium Crispum frigore veneni.* — Ablavius cum Annio Basso consul fuit a. u. 1083. p. Chr. 331., ut ex fastis Relandi pag. 330. cognoscimus. Zosimus in histor. lib. II. c. 40. p. 201. Ablavium praefectum urbi occisum refert a Constantio, Constantini Magni filio. Constantini tempora, quia is filium et uxorem sustulerat, similia sunt Neronianis, qui Agrippinam, matrem, et Britannicum interemit.

2. *sed Neroniana*] Adludit Ablavius acutissime ad Neronem imperatorem et ad gemmam, quae Neroniana dicebatur. Salmasius enim in Exercitt. Plin. p. 777. genus smaragdi pretiosissimum et excellentissimum *Neronianum* appellari docuit. Id vero vel a Nerone aliquo artifice gemmario nomen traxit vel ex eo, quod aqueus splendor, quia est tralucidus ac liquidissimus, a Graecis νηρόν et νεαρόν vocatur. Conf. Vossii Etymolog. s. v. *Neronianus lapis*. Silligii Catal. Artif. v. *Nero*.

262.

Anth. III. 275. Andreas Rivinus et Lotichius, quibus Burmannus invitus, Wernsdorfius vero in Poet. T. II. p. 193 et 272. libenter adstipulatus est, hoc carmen Aemilio Magno Arborio, rhetori Tolosano, avun-

culo Ausonii, qui eius elogium in Parentalibus Carm. III. et in Professoribus c. XVII. scripsit, vindicant.

5. *tanto*] *tanti* B.

15. *facis*] fuco adhibito. Ex hac elegia totum mulierum Romanarum ornatum luxuriamque cognoscimus.

19. *obducta*] Eldick. Spec. Suspicionum p. 219. ut in Anth. III. 214. *occulta* vulgo. *occultas candenti veste papillas* Oudend.

30. *nec qui*] i. e. non is sum, qui te, tam eximiam puellam, invitus amet.

32. *nec qui te*] *nec prae te* Oudend. Explicat Wernsd.: nec qui te tum demum vellet amare, si esses dea rosea vel ipsa Aurora.

33. *possent — possent*] an *possunt — possunt?*

37. *candidiora, recenti Sed*] sic interpunxit Wakef. ad Lucret. III. 959. vulgo interpungitur post *recenti*.

40. *posuere*] ut Seneca dicit *nives posuit bruma*.

45. *alba ligustra*] ligustrum Italicum (die Rheinweide) in hortis colitur floresque habet candidissimos.

46. *fixa*] i. e. se erigentia in caespite.

48. *vulsa suis*] B. *vulsa tuis* vulgo. Rosa spinis non vacat.

52. *haec quamvis*] *quamvis haec* Wernsd.

moverit] v. Mitscherlich. ad Horat. C. II. 4, 4.

62. *deum*] *Iovem* B. ne par sonus inter *deum* et *eum* existat. In Ovidio autem multa iam huius mollitiei exempla inveniuntur, ut in Amor. III. 5. v. 2, 4, 10, 18, 34, 42, 46.

63. *opima*] *prima* B.

68. *et te*] legendum *tete*.

74. *regna perire*] si tu cum deabus contendisses, te, non Venerem Paris praetulisset, tum regnum non perdidisset Priamus.

86. *prae tribus*] Eldick. Spec. Suspic. p. 218. *de tribus* vulgo.

a Paride] Rivinus. *a Paridi* vulgo et Wernsd., qui metro aptius putat. At forma ista in hoc nomine inaudita est et brevis syllaba in commate priore pentametri a Terentiano M. v. 1778. admittitur. Nec aliter in v. 82.

92. *sollemnis*] *praepollens* vel *sublimis* B.

263.

Anth. I. 136. Wernsdorf. in Poet. L. Min. T. II. p. 589 et 451, plures Palladios oratores ac poetas enumerans, illi hoc de Orpheo carmen tribuit, cui, poesi et carminibus claro, monumentum ab Iulio Nicephoro, patre, positum extat in Anth. IV. 220. *Ut te, Palladi, raptum flevere Camenae, Fleverunt populi, quos continet Ostia dia.* Idem rhetor fuit et Symmachi familiaris, ut ex eius epistolis novimus. I. 15. 94. III. 50. Alter Palladius longe serioris aetatis inter poetas scholasticos est, quorum carmina infra editurus sum. *De Orpheo Palladius* mss. Voss. Petav. Versus Archilochii, quales apud Horatium I. 4.

2. *acrium*] *atrium* mss. Voss. Petav.
5. *modos*] *modo* mss. Voss. Petav.
6. *umbram*] *umbra* mss. Voss. Petav.
8. *docti*] *doctam* mss. V. P.
9. *placidis*] *placudis* ms. P.
mitigavit] *mitigarit* mss. V. P.
12. *expolivit*] *expoliavit* mss. V. P.

264.

Anth. III. 161. Inter epigrammata Magni Felicis Ennodii legitur.

pavit] i. e. qui numquam quemquam convivio accepit. Salmasius ad Spartiani Hadrian. c. 17. T. I. p. 161.

1. *deposcite*] *deponite* ms. Salm.

265.

Anth. II. 137. Sequuntur deinceps aliquot epigrammata, quae Q. Aurelii Symmachi oratoris esse feruntur. Sed in primo statim eorum huic opinioni occurrendum est. Id ipsum enim Symmacho oratori tribui non potest. Annorum namque ratio id non permittit. Symmachus *Aurelius* ab anno circiter 370. usque ad 400. p. Chr. floruit, Boethius vero anno demum 524. diem supremum obiit. Nihilominus autem Symmachus quidam hos versus composuit, et in eo tantum vulgo peccant, quod uni eidemque Symmacho haec epigrammata vindicant, ut etiam Saxius in Onomast. T. I. Praef. p. XXXI. in catalogo poetarum Anthologiae Q. Aurelium Symmachum solum recenset. Id igitur aut Q. Aurelius Memmius Symmachus, consul a. p. Chr. 485., socer *Boethii*, cui librum de S. Trinitate adversus Nestorii et Eutychetis errores *inscripserat*, fecit, aut, quod vero magis est simile, Q. Aurelius Anicius Symmachus, nepos eius, quem modo nominavi, consul cum Boethio filio a. p. Chr. 522. v. Fasti Relandi p. 689. et Fabricii Bibliotheca lat. T. III. p. 170. quos secuti sumus. Aliter enim Petrus Bertius in praefat. ad Boethii librum De Consolatione pag. 29. statuit, Boethium tertium ultimumque consulatum cum Symmacho socero suo gessisse a. p. Chr. 522. aetatis suae 67.

3. *ignotus*] i. e. habes, qui etsi tibi non notus, te colit.

4. *sophos*] σοφῶς, ut in Martiali saepe invenitur, pro egregie, praeclare.

5. *locum*] int. requiei.

6. *uxoris*] Elpidis.

266.

Anth. II. 143. Hoc epigramma Symmachi oratoris est. Extat enim in epist. 1. lib. I., in qua Symmachus patri suo scribit: *Baulos Lucrina sede mutavimus, non quod eius diversorii satias ceperit nos, quod, cum diutius visitur, plus amatur sed quod metus fuit, ne, si Baulo-*

rum mihi inolevisset affectio, cetera, quae visenda sunt, displicerent. Ibi Acindyno conditori eiusque maioribus emmetra verba libavi, et picturae licentiam, quae vestitum disparem singulis tribuit, in rationem coegi. Acindynus consul fuit a. p. C. 340., u. c. 1092., et praefectus praetorio Orientis, quod versu 4. indicatur.

1. *Attica palla*] philosophorum est ornamentum.

toga picta] triumphantium fuit consulumque sub imperatoribus. Festus s. v. *picta*. *Picta quae nunc dicitur toga, antea vocabatur purpurea, eratque sine pictura.* V. Forcellin. v. *pictus*. Salmasius ad Vopisci Carinum Imp. c. 20. T. II. p. 853. Creuzer. Antiquit. p. 186.

2. *sacris*] i. e. pontifex erat. *sophis* Barth. Adv. XXX. 8.

5. *si*] *sed* ed. 1653.

pictura] hi versus a Symmacho ad illustrationem picturae componebantur, in qua Acindyni socer, Acindyni pater, Acindynus ipse conspiciebantur, cuncti ornatu proprio ac conveniente praediti. Id ex epist. Symmachi patris (l. I. ep. 2.) novimus. „*Quid enim concinnius epistola tua, quam nuper accepi? quid versuum admixtione iucundius? Quod utinam sensus aliquis eorum supersit, quorum imaginibus praescripta videmus epigrammata! Facile laudabunt tales successores laborum suorum, qui picturae nitorem pulchrioribus versibus illuminarint.* Alter Atticam pallam, alter pictam togam, tertius paludamentum gerebat, quod Symmachus his verbis in ep. 1. intelligit: *picturae licentiam, quae vestitum disparem singulis tribuit, in rationem coegi h. e. causam eius rei illustravi.* — *praetura* vulgo invitis mss. In pictura deerant fasces sive insignia consularia Acindyni, unde dicit *Si fasces pictura tacet.*

267.

Anth. II. 144. Symmachi oratoris est, et extat in Epist. eius I. 1. Wernsd. Poet. T. IV. p. 550.

2. *eruta*] *fer ut ager sone deiulare tergemini* ms. Scioppii. *Eruta tergemini de lare Gerionis.* Iuretus. *eruta Geryonis de l. t.* Lipsius ad Tacit. Ann. XIV. 4.

3. *Boaulia*] Lipsius. *Boalia* vulgo.

9. *Acindynus*] Flavius Septimius Acindynus consul a. p. Chr. 340., de quo supra.

10. *Orfitus*] Memmius Vitrasius Orfitus, de quo Valesius ad Ammian. Marc. XVI. 10. et B. ad h. l. agit.

11. *iuvenile decus*] i. e. iuvenum decus. — *iuvenale d.* ed. 1653. *iuvenile decens* Wakef. ad Lucret. I. 120. *vulgo decus constructione nulla.*

12. *bisseno — fasce*] Symmachus de semetipso loquitur, et consulatum suum a. 391. intelligit, quia duodenos fasces habebant consules.

13. *sed*] ed. 1653. *si* vulgo. Sed Baulorum deliciae nondum ad

otiam te allicere possunt; iuvabit enim, dum iuvenis es, laboribus vacare reipublicae.

268.

Edidi ms. Symmachi Epist. I. 8. Wernsd. T. IV. p. 552. coll. T. I. p. 276.

2. *Gauri*] Heins. ad Ovid. Met. X. 558. et ad Silium XIV. 409. *guttur* ms. *vite* Iuretus. — Gauri montis summa consita esse vinetis, medium fumare ignitis vaporibus, ima allui dicit h. e. sinu Baiano, quem inter et Gaurum montem lacus Lucrinus. Wernsd. T. I. p. 277.

4. *media incoquit*] H. *medium coquit* ms. Scioppii. Iuretus.

6. *ima*] *iam* ed. 1653.

6. *Thetis*] duabus brevibus, ut solent poetae. *Tethys* Wernsd. T. IV. p. 553. errore, quia id nomen primam longam habet.

vagae] H. *Baiae* vel *Baia* edd. Sorores Thetidis sunt Nereides.

9. *Amathusias renidens*] i. e. Venus renidens vel ridens. H. *Amathusiam* ms. Iureti. *Amathusiam* ed. 1653. *Amathusias*, *adis* alibi non legitur; v. intpp. ad Ovid. Met. X. 227. — Venus ad lacum Lucrinum templo colebatur, unde *Lucrina Venus* ap. Stat. Silv. III. 1, 148.

10. *et vaporis*] Venus, quae ad lacum Lucrinum adorabatur, praeses erat huius regionis. Sinus Lucrinus ac mons Vulcanus, in cuius vaporantibus cavernis balnea calida latebant, in eius tutela fuere. — *et leporis* H. *et saporis* Burm. ad Petron. cur. secund. c. 3. B. ad Anth. II. 144. T. I. p. 327. inprobante Wernsd. T. IV. l. l.

269.

Anth. II. 145. Quinque sequentia epigrammata patri Q. Aurelii Symmachi oratoris tribuuntur, qui in epist. ad filium I. 2. scribit: *Sed nobis quoque accipe bonorum aetatis meae exarata nuper elogia.* — *Sed quae prima compegi, interim pauca misi, obtestatus te per deum, ut, si quid in his displicebit, emendes.* L. Aurelius Avianus Symmachus pater praefectus urbi fuit a. u. 364. De eo v. Valesius ad Ammian. Marcell. XXI. 12. Inscribitur Aradio Rufino, qui praefectus urbi fuit. Idem Q. Aradius Rufinus Valerius Proculus in inscript. ap. Burm., Q. Aradius Valerius Proculus in inscript. ap. Orellium N. 1079. vocatur.

2. *prospera, cuique*] i. e. qui in fortuna atque in infortunio parem sibi gloriam factis comparavit. *cui prospera quaeque. Tristia* Schrader. Add. T. II. p. 724.

3. *tristia*] *tristitiam tumidis aequabat gloria rebus* ed. 1653.

270.

Anth. II. 146. L. Aradius Valerius Proculus sub Constantio proconsul Africae a. C. 340., eodemque anno consul cum Acindyno fuit.

1. *non oneravit*] tamquam indignos gloria avita.

2. *decore*] ed. 1653. *decorem* vulgo. *decorum* Oudend.

3. *Poplicolarum*] *Publicolarum* vulgo.

6. *erat*] *erit* ed. 1653.

non deinde] *non deinde timebis* ed. 1653. *et quamquam reverendus, eum non deinde timebis.* Barth. Adv. XXX. 8. *non inde timendus* Oudend.

271.

Anth. II. 147. Amnius Anicius Iulianus consul a. Chr. 322.

2. *praeluxerit Annius*] ms. Fuldanus. *praeluxerit ammus unus* ms. Bessar. *praeluxit Anicius* ex coni. Scioppii Iuretus. vulgo. Sirmondus docet, ex inscriptionibus probari, *Anicium* aut *Annium Anicium Iulianum* aut *Amnium Anicium Iulianum* vocatum esse.

4. *hic et carus erat*] int. ex anteced. *hic cunctis carus erat.*

272.

Anth. II. 148. Petronius Probianus cos. fuit cum Anicio Iuliano a. Chr. 322.

1. *quos*] ed. 1653. Oudend. *quod* vulgo.

5. *adsiduus*] ultima arsi producitur.

hospes] Augustis hospes hic dicitur de praefecto Urbis, ut B. ad eleg. in obit. Maecen. v. 27. docuit: *Num minus urbis erat custos et Caesaris hospes?* Itidem in Grut. Inscriptt. p. CVII. 8. *hospes Ti. Caesaris Aug.* invenitur.

6. *tetulisti*] Supra II. 112. *Si talem Graium tetulissent fata poetam.* — *retulisti* ed. 1653. falso, cum *re* in praeterito verbi *referre* producatur.

273.

Anth. II. 149. Lucer Verinus sub Constantino Magno Vicarius Africae fuit et praefectus Urbi.

3. *morum*] Supra II. 146. *ponemus Proculum, vitae morumque decorem,* ut vulgo legitur.

4. *nisi in officiis*] i. e. nisi munera reipublicae te impediebant.

274.

Anth. V. 115. Wernsd. Poet. T. IV. p. 499. Auctorem esse horum versuum Sedulium, in commentario, quem cum Burmanno communicavit, docuit Gerardus Meermannus. Extant in *Dicuili libro de mensura orbis terrae*, qui ex duobus mss. Bibliothecae imperialis anno 1807. Parisiis primum a Car. Athan. Walckenaer editus est. Dicuilus Hibernus sive Scotus natione secundum Meermannum a. C. 711. obiit, Walckenaer vero in praefatione p. 11. nono Dicuilum saeculo vixisse putat, librumque de mensura orbis terrae anno 825. tempore aestivo exarasse; idque ex fine libri apparet:

Post octingentos viginti quinque peractos
summi annos Domini terrae, ethrae, carceris atri
semine triticeo, sub ruris pulvere tecto
nocte bobus requies largitur fine laboris.

De argumento versuum Sedulii pluribus locis disputat, pag. 5. *In quinto decimo anno regni imperatoris Theodosii praecepit ille suis missis provincias orbis terrae in longitudinem et latitudinem mensurari.* Deinde p. 12. *Duodecim versus praedictorum missorum, de imperante Theodosio hoc opus fieri, incipiunt.* et p. 13. *Non debet mirari, quod in primo loco septimi et octavi versus istorum amphimachrus scriptus est; quoniam, ut reor, non imperitia, sed auctoritate aliorum poetarum et maxime Virgilii, quem in talibus caute noster simulavit* (i. e. imitatus est) *Sedulius, qui raro pedes non alienos ab illis in heroicis carminibus posuerunt* (i. e. qui interdum amphimacris usi sunt). Porro scimus, Sedulium in Achaia conscripsisse tempore Theodosii Iunioris libros, imo Theodosio ipsi dedicasse librum.

1. *quo mundi*] *mundi quo* ms. Pithoei.

2. *quo montes*] *quo et montes* ms. Pi.

freta, portus] *portus, freta* Walckenaer.

5. *pius, totus*] sic interpunxi: i. e. ac quem totus orbis per saecula vix capit, pius Theodosius. — *ac per saecla pius, totum quem vix capit orbis* vulgo. *ac per saecla, pius totus, quem vix capit orbis* Walck. iungens *pius totus.*

6. *Theodosius*] Walck. *Theudosius* vulgo.

7. *confici*] ab amphimacro incipit versus 7. et octavus. *conficier quinis* ms. Pithoei.

cum] ms. Pith. Walck. *dum* vulgo.

fastibus] fastus hic pro fastibus sive fastis Imperii ponuntur. Theodosii iunioris quintus decimus regni annus incidit in a. 423. — *fascibus* ms. Pith. Walck. Theodosii Iunioris consulatus quintus decimus cadit in a. 435.

9. *veterum*] Iulius Caesar totum terrarum orbem per geodaetas mensus est, unde posthac Augustus cum Agrippa genero tabulas accuratas confici curavit. Conf. Meermannus ad h. l.

10. *reparamus*] *reparemus* Walck.

culpamque priorem] an *culpamque priorum?* i. e. errores eorum, qui antea mappas confecere.

11. *tollimus*] *tullimus* Walck.

275.

Anth. III. 144. Vaticana Collect. Inscriptt. Maii p. 75. *De detractoribus. S. Augustini super mensam.* ms. Guelf.

1. *absentum r. vitam*] *absentem r. vitam* Barth. *absentem r. amicum* Schrader. Add. T. I. p. 744. ex Horat. sat. I. 4, 81.

2. *vetitam*] *hanc mensam indigne noverit esse suam* ms. Possidii. *hanc mensam indignam noverit esse suam* ms. Guelf. *hac mensa indignam noverit esse suam.* Oudend. Maius.

276.

Edidit Duebnerus in Iahnii Ann. 1828. p. 315.

277.

Anth. I. 169. *Iuliano* adscribit ms. Petav. *De Sirenis Euf.* (i. e. Euforbi) ms. Thuan. Iulianus pariter atque Euforbus inter poetas Scholasticos infra nominabuntur. *De Sirenis* ms. Voss. *de cantu Sirenarum* ms. Vossianus Virgilii. — Wernsd. Poet. T. V. p. 46 et 519.

1. *Sirenes*] *sirenas* mss. Voss. Petav.

2. *miros*] *miseros* mss. Thuan. Voss. Petav. *ac varios* ms. Ambrosianus.

4. *omnia*] iunge: Sirenes cantabant carmina omnia, quae in thymele sive orchestra cantari solent.

thymele] *thymile* ms. Ambros. *thymale* ms. Petav.

habet] om. mss. Thuan. Voss. Pet. *amat* Scalig.

5. *queruntur*] *fuerunt* mss. Voss. Thuan. Ambros. *fuere* ms. Scal. *Queri* stringentem sonum hoc loco significat, sicuti omnium animalium voces, praeterquam hominis, querelam dicebant antiqui.

7. *aëdon*] *edon* mss. Voss. Pet. *quod leves et calami* ms. Thuan.

9. *vocis*] *vocam* ms. Thuan. *vocum* H.

10. *mergebant*] *marcebant* ms. Ambros.

11. *venit Ulixes Et tutos sol.*] mss. Pet. Thuan. *generatus magnus Ulyxes Hac tutos sola praestitit* vulgo. *venit Ulysses ac tutos solita* Wernsd. *ventus U. et toto solida* ms. Voss. *generatus donec Ulyxes Insolita tutos praestitit* Barth. *et tutos solida* ms. Gothanus ap. Duebner.

13. *illevit*] *in levi* ms. Thu.

15. *transiluit*] *transiit ut scopulos* Heins. B. ad Propert. p. 357. improb. Klotzio in Antib. p. 70. et Wakef. ad Lucret. I. 834.

16. *desiluere freto*] i. e. in fretum. Virg. Aen. V. 451. *It clamor coelo.* Ramshorn. L. G. p. 352. [p. 220. ed. pr.]. — *desiluere fretom* Wakef. *dissiluere* ms. Thu. *disiluere* ms. Voss.

278.

Anth. I. 79. Wernsd. T. V. p. 1 et 525.

1. *Musoni suboles*] maternum genus a C. Musonio Rufo, philosopho, paternum ab Avieno duxit Festus Avienus. In monumentis sepulcralibus Etruscorum, quorum Festus quoque erat, plerumque nomen maternum, imo saepius quam paternum referri, docet O. Müller. De Etruscis T. I. p. 418. 403. Rufus Festus ex Vulsiniensi civitate oriundus est, quae eadem patria Musonii erat.

2. *Caesia*] aqua Caesia, quae in Umbria sita est (Martial. IX. 59. et VII. 97.) a Festo primum aut carminibus celebrabatur, unde famam acceperat magnam, aut ab eo nomen accepit Festam Avienam, quod antiqua Caesia per eum instaurata est vel aquaeductus noviter instructus et munitus ad usum publicum. Innititur haec opinio Wernsdorfii in epigrammate, quod Anth. III. 43. legitur.

> *FAVsta* novam domini condens Fortuna lavacrum
> invitat fessos huc properare viros.
> *Condentis* monstrant *versus primordia nomen,*
> *auctoremque facit litera prisca legi.*

Quia ultimus versus pronuntiat, literam priscam significare auctorem, hic tribus literis prioribus *FAV* expressum videtur nomen Festi Avieni.

3. *Nortia*] Nortia, Etruscorum dea, Vulsiniis templum habebat. Liv. VII. 3. Tertull. Apolog. c. 24. Haec dea par est Romanorum Fortunae vel Nemesi. Vid. O. Müller. De Etruscis T. II. p. 54.

4. *proconsulis*] Colligimus ex inscriptione graeca, quae apud Gruter. p. 464. n. 7. extat, statuam Rufi Festi proconsulis Graeciae et Areopagitae Athenienses publice erexisse. Haec inscriptio ad Rufum Festum Avienum referri potest, quia in Avieni Periegesi huius proconsulatus vestigia apparent (v. Wernsd. l. l. p. 2.). Alterum proconsulatum in Africa a. 366 et 367. gessisse eum suspicatur Wernsd. Avienus enim temporibus Valentiniani, Valentis, Gratiani, fortasse iam sub Constantio Iulianoque floruit, et aequalis erat Symmachi.

5. *carmina*] ut Metaphrasin Arati et Periegeseos Dionysii, Oram Maritimam, Virgilii Fabulas, Livii Historias in iambos redactas. Alia sunt incerta. Conf. Wernsd. l. l. p. 29 — 52.

6. *Placidae*] hinc filius eius Placidus dictus. Anth. IV. 310.

7. *vivax et*] i. e. liberi longam vitam promittunt. *vivax sit* B.

8. *composita*] *cum posita* Higtius Add. T. II. p. 708.

279.

Anth. III. 58. Flavianum Myrmecium cognatis Avieni accenset Wernsd. T. V. p. 26. coll. 514. Myrmecius vocatur aut a Myrmece, insula Africae, aut a Myrmecio, oppido Tauricae peninsulae. Patrem habet Q. Clodium Flavianum proconsulem Africae a. 357., et vicarius erat Africae nec non praefectus praet. Illyrici et Italiae per annos XII sub Theodosio primo. Liber secundus Epistolarum Symmachi eidem Flaviano est inscriptus.

1. *Poenus*] int. nauta sive mercator.

3. *vecta*] *invecta* Heins.

4. *relaxes*] i. e. largire nobis aliquot ad gustandum.

erat] *erit* Cannegiet. Lipsius ad Taciti Ann. XIV. 31. improbante Walchio ad Taciti Agric. c. 13. p. 211. — *qui finis mundi est, hic erit imperii.* B.

763.

Anth. II. 85.

1. *iamiam spectata*] *quamquam spectata* Cannegieterus prob. Walchio l. l. qui adnotat: *Auf Caligulas Triumph über Deutschland und Britannien, wozu die Schiffe, womit Caligula den Ocean befahren, nach Rom gebracht wurden* (Suet. 47.), *deutet das Epigramm, welches Cannegieter so richtig verbessert, als falsch erklärt hat: denn spectata triumpho geht auf Abbildungen Britanniens, welche vermuthlich unter anderm Triumphgepränge mit zur Schau getragen wurden. Die gleiche Sitte kommt vor Tac. Ann. II.* 41.

2. *iacet in titulos*] i. e. servit titulis tuis vel honori tuo ac gloriae. *patet in titulos* Cannegieter. *venit in t.* Klotz. *facit in titulos* Gesnerus.

5. *recluserat Arctos*] *secluserat* Cannegiet. *Arcti* pro septentrione ponuntur vel pro populis septentrionalibus, ut a Claudiano De VI. Cons. Honorii 336.:

Dacica bellipotens cum fregerat Ulpius arma,
atque indignantes in iura redegerat *Arctos*,
cum fasces cinxere Hypanin, mirataque leges
Romanum stupuit Maeotia terra tribunal.

Arctus mss. Voss. Scal.

764.

Anth. II. 86.

1. *regem externum*] Tollius. Cannegieter. *legem externam* Heins. *regem*. *Aeternum* vulgo; nec aliter Bentleius ad Hor. C. I. 35, 30.

4. *tibi*] *sibi* Heins.

765.

Anth. II. 87.

1. *cingebat*] *tingebat* Oudend. Add. T. II. p. 717.

2. *erat*] *erit* mss. Voss. Scal.

3. *Dive*] *dibe* ms. Voss. Iulium Caesarem invocat, qui diis accensetur.

tuum] *tuo* — *coelo* Heins. i. e. unde generis originem ducebat Caesar, nempe ex Venere.

766.

Anth. II. 88.

1. *Mars*] Mars pater et Quirinus duplici nomine invocatur.

2. *positus*] *positi* Wakef. ad Lucret. IV. 547. „Illud ferri potest, sed nostra lectio longe facilior est."

Caesar uterque] i. e. Romulus et Iulius Caesar.

5. *adaperto*] *adoperto* Pithoeus.

6. *et iam*] *en iam* H. Sensus est: Oceanus nunc Romanus est, quia intra fines imperii Romani est. Similiter epigr. 768: *Adluitur nostra victa Britannis aqua*. — *nec iam Romani cingimur Oceano*. Wakef.

767.

Anth. II. 89.

768.

Anth. II. 90.

1. *coelo*] *mundo* Schrader.

769.

Anth. II. 91.

2. *cunctaque*] mss. Voss. Scal. *undique* H. *cinctaque* vulgo.

3. *vallaverat*] *velaverat* mss. Voss. Scal. *vallaverit* Wakef. ad Lucret. II. 538. „ne temporum concinnitas disturbetur."

7. *devicta*] *deficta* mss. Voss. Scal. *defixa* H.

Germanice Caesar] Gronov. ad Senec. Octav. 43. Tollius. Cannegiet. B. — *Germania, Caesar* Scalig.

9. *confundat p. ut pervia tellus*] mss. Voss. Scalig. cuius mg. *con-*

fundit. confundit populos inpervia Tellus vulgo. Pro *Tellus* de H. *Tethys* vel *Thule*, quorum prius probo.

10. *orbis et Urbis*] B. *orbis et orbis* vulgo.

770.

Anth. II. 95.

3. *Titum*] prima longa, quae aliis brevis est; unde recens esse epigramma putat B. ac Schraderus Add. T. II. p. 717.

771.

Edidit A. Maius ac Duebnerus.

2. *mundi quondam*] *notus erat viduae condam* ms. Goth. *natus erat viduae quondam* Duebner. Quamvis multos Traianus referret triumphos, nihilominus pietate et clementia erga omnes, qui auxilio eius egebant, celeber erat. Attamen *gementis* corruptum videtur.

4. *Arabas*] ultima longa, ut supra. *Arabes* Duebner.

5. *et — pepulit*] *et* om. *ms.* Goth.

6. *Albanis*] Albani intra Caucasum montem et mare Caspicum siti sunt, ac probe distinguendi ab Alanis, qui Traiani temporibus easdem fere regiones invasere. V. Mannert. Geogr. T. IV. p. 422. Bernhardy ad Dionys. Perieg. v. 305. Casaubonus ad Ael. Spartiani Hadrian. c. 21.

772.

De carminibus ludicris scripsit Zellius in Ferienschrift. T. II. p. 148. et Bernstein Halis 1810. Recepi ex Velleio II. 67. Versus trochaicus tetram. catal.

consules] L. Munatius Plancus, M. Aemilius Lepidus u. c. 712. In proscriptione triumvirorum, quae a. 711. acciderat, Lepidus Paulum fratrem proscripsit ac Plancus Plancum Plotium fratrem. Quo respiciens populus *de germanis* eos triumphare cantabat. Conf. Vellei. l. l. cum nota Ruhnk.

773.

Anth. II. 129. ex Gellio XV. 4. In eumdem Ventidium Bassum est illud Virgilii *Sabinus ille, quem videtis hospites* etc.

2. *inusitatum*] *invisitatum* Broukhusius.

3. *consul*] P. Ventidius Bassus extremo anno 711. consul fit.

774.

Anth. II. 62. ex Sueton. Caes. 20.

1. *Non Bibulo*] *consule non Bibulo quidquam sed Caesare factum est.* vulgo.

consule non Bibulo quidquam, sed Caesare factum est:
nil memini fieri consule nam Bibulo.

Burm.

2. *consule*] a. u. 695.

775.

Anth. II. 57. ex Suet. Caes. c. 49. Versus trochaici tetrametri catal., nec aliter in ceteris, quae sequuntur, epigrammatis usque ad 779.

2. *Caesar nunc*] *nunc Caesar* vulgo.

776.

Anth. II. 59. ex Suet. Caes. 51. „Ernesti, qui duos versus non simul cantatos, sed aliis interpositis antumat, (eumque secutus est Bernstein l. l. p. 11 sqq.), neglexit, Suetonium *de disticho* loqui.“ Baumgarten-Crusius.

2. *aurum*] *auro in Gallia stuprum emisti: hic sumsisti mutuum.* vulgo.

effutuisti] per synizesin quadrisyllabum est. Santen. ad Terent. M. p. 182.

at hic] *at* ex ms. Medic. 3. inseruit Oudend. Recte, nisi potius hi versus in duas partes singuli dividendi sunt:

Urbani, servate uxores:
moechum calvum adducimus!
Aurum in Gallia effutuisti:
hic sumsisti mutuum.

Caesar in Gallia cum meretricibus aurum effudit, quod antea Romae mutuum sumserat.

777.

Anth. II. 60. ex Suet. Caes. c. 60.

1. *ducit*] *duxit, inde in curiam* vulgo.

2. *deposuerunt*] quadrisyllabum per synizesin.

sumserunt] media brevi, cuius rei exempla dedit Naek. Allgem. Schulzeitg. 1831. H. I. p. 67.

778.

Anth. II. 61. ex Suet. Caes. 60.

1. *quia*] per synizesin monosyllabum; itidem in versu sequenti. *qui* Heins.

primus] *primo* vulgo.

779.

Anth. II. 127. ex Scholiasta Iuvenalis in Sat. V. 3.

1. *aliud*] In *aliud, aliud, populus, voluerat, habeat, nihil, aliquis* prima pedis pars ex duabus brevibus constat.

scriptum] Weichert. in Poet. lat. Rel. p. 228. explicat: Sarmentus habet aliud scriptum, n. quaestorium, ac populus voluerat, ut qui mallet esse eum στιγματίαν propter fugam. — Sarmentus scriba erat quaestorius. Zellius (in Ferienschriften T. II. p. 165.) „Sarmentus, inquit, war eine bekannte lustige Person zur Zeit des Kaisers Augustus und bey diesem selbst als Lustigmacher und Possenreisser wohl gelitten.

Es ist diess derselbe Sarmentus, der mit Horatius im Gefolge des Mecenas war auf jener Reise nach Brundisium, welche dieser Dichter in einer seiner Satyren beschreibt, wo er zugleich eine Probe von Sarmentus scurrilem Talent mittheilt. Dieser Mensch, ein ehemaliger Sclave, hatte es bis zu einem quaestorischen Schreiber gebracht, und wahrscheinlich ein ansehnliches Vermögen zusammengescharrt, so dass er sich als ein römischer Ritter gerirte, und sogar im Theater auf den für diesen Stand bestimmten Sitzen Platz nahm. Das reizte den Unwillen und Spott des Volkes: man machte auf ihn folgende Verse, die eine Anspielung auf sein, wie es scheint, nicht sehr gewissenhaft geführtes Schreiberamt enthalten:

Etwas anders schreibt Sarmentus,
etwas anders will das Volk.
Jedem nach Verdienst das Seine:
darum Fesseln für Sarment.
Auf ihr Bursche! seid nicht müssig,
packet den Sarmentus an." —

2. *digna dignis*] *digna digni*. Salmasius ad Hist. A. Scr. T. II. p. 431.

780.

Anth. II. 126. e Scholiasta Horatii ad Sat. II. 2, 49. Iambici Scazontes.

1. *iste conditor*] *Ciconiarum Rufus iste est conditor.*
Ipse est duobus etc.
Suffragiorum puncta non tulit. Septis
Ciconiarum populus ultus est necem.

Septis enim, inquit, ad suffragia ferenda populus conveniebat. Oudend. T. II. p. 723.

2. *hic*] Scholiasta. *ipse* vulgo. *quippe est* vel *ipse et* H.

Plancis] L. Munatius Plaucus et Plancus Plotius fratres. Cf. Add. T. I. p. 734. Ruhnk. ad Vellei. II. 67. p. 283 et 296.

3. *septem*] in praetura petenda ne septem quidem suffragia tulit.

4. *mortem*] nescio quomodo Oudendorpius *necem* coniiciat, quod primam brevem habet, cum versus sit scazon.

781.

Anth. II. 70. ex Suet. Octav. 70.

1. *istorum*] „*mensam istorum* intelligas de istis, qui coenae secretiori interesse solebant, s. de convivis ipsis, *choragum* autem ipsum Augustum, mensae tamquam choro praefectum, chori moderatorem, eumque *conductum* a reliquis, *μεμισθωμένον*, in quo maxima inest contumelia." Baumgarten-Cr. Gesnerus in Thes. v. *choragus* explicat: *Cum pro coena ludos quosdam scenicos egerunt, ad quos chorago opus esset.* — *Cum mimum histrorum conduxit mensa choragi* H. Graevius. *Quum Bromio ictorum conspexit mensa choragum* Bernstein l. l. p. 51. Ego *mensa* corruptum esse duco.

2. *Mallia*] „*Malliam* non feminam intelligo, sed domum, in qua iste coetus habebatur." Baumg. *Manlia* vulgo.

3. *Phoebi-mendacia ludit*] i. e. Augustus Phoebum mentitur, simulat. — *mendacia ridet* vulgo.

4. *coenat*] i. e. Augustus cum convivis habitu deorum nova adulteria in coena facit: er tischt neue Buhlereyen der Götter auf.

6. *toros*] i. e. pulvinaria. *thronos* vulgo.

782.

Anth. II. 66. ex Suet. Octav. 70.

783.

Recepi ex Suet. Calig. 6. Cantus popularis ex trochaico tetram. catal. compositus. Conf. Zell. Ferienschr. T. II. p. 200.

784.

Anth. II. 75. ex Sueton. Tiber. 59.

1. *asper es*] *asper es, inmitis:* Heins.

2. *mater*] Livia, quacum inimicitias exercebat.

785.

Anth. II. 74. ex Suet. Tiber. 59.

1. *millia centum*] „i. e. ne quarta quidem pars census equestris, ut non opus sit emendare cum Lipsio: *quater et non sunt tibi millia centum.*" Baumg.

2. *et Rhodos*] i. e. et, si omnia quaeras, Rhodos exilium est. Nec censum equestrem habes, et, si ultra quaeris, ne civis quidem es; Rhodi
3. exul agis; und, wenn du alles wissen willst, so ist Rhodus dein Exil. *nomina si quaeras, en Rhodos* Heins. *omina si quaeras, en Rhodus* Cannegieter. Add. T. II. p. 717.

786.

Anth. II. 76. ex Sueton. Tiber. 59.

1. *Saturni*] intelligit Augusti imperium.

787.

Anth. II. 77. ex Suet. Tib. 59.

1. *fastidit*] Plin. H. N. XIV. 22.

788.

Anth. II. 73. ex Suet. Tiber. 59.

1. *Adspice*] Ut Sulla redux ac Marius redux atque Antonius redux multo manus suas sanguine civium temerarunt, sic Tiberium quoque, ex exilio redeuntem, caedem magnam facturum esse praedicit poeta.

Romule] i. e. Romane; saepe enim dicitur Romulus pro Romuleus. Infra *Romulae matres.*

4. *nec semel*] *non semel* vel *et simili* H.

789.

Anth. II. 78. Versus Hipponactei iambici. Bonciarius, Broukhusius, Weichertius in Poet. lat. Reliq. p. 416. recens esse carmen demonstrant.

2. *conviviis peractis*] *uno die conviviis peracto* Oudend. Weichert. *uno die convivioque peractis* Goldastus. *conviviis ter actis* B.

7. *cantharus*] cantharus est Bacchi proprium poculum. Er ist im Trinken ein wahrer Bacchusschlauch. *cantharis* Bernstein. Weichert.

11. *Tiberium*] secunda longa.

790.

Anth. II. 79. ex Suetonii Nerone 39.

1. *magna*] *natum* B. *magni* edd. quaedam.

791.

Anth. II. 80. ex Suet. Nerone 39. Alludit epigramma ad cladem ignominiosam, quam legiones Romanae decimo imperii Neronis anno in Armenia per Vologaesum, Parthorum regem, acceperant. Bernstein. p. 83.

792.

Anth. II. 81. ex Suet. Nerone 39. Epigramma factum est, cum domum *Auream*, immensae magnitudinis aedificium, construebat Nero.

Rom wird ein einziges Haus, zieht fort nach Veji, Quiriten:
Doch auch Veji vielleicht fällt in des Hauses Bereich.

Zell.

793.

Anth. II. 92. ex Suetonii Othone c. 3.

794.

Edidi ex Suetonii Domitiano c. 23. „Kurz vor der Ermordung des Tyrannen Domitian wollte man eine Elster auf dem Tarpeischen Felsen bemerkt haben, welche auf Griechisch die Worte sagte: *Es wird alles gut gehen.* Man machte darauf das Ep.

Jene Elster, die auf dem tarpeischen Felsen gesessen
S' ist gut konnte sie nicht sagen, so sagt sie: Es wird."

Zell.

795.

Anth. II. 99. ex Lampridii Antonino Diadumeno cap. 7. T. I. p. 786. — Carmen ex pentametris constat. *Hi versus a Graeco nescio quo compositi, a malo poeta in Latinum translati sunt*, addit Lampridius.

3. *expers*] i. e. Commodus expers est iuris.

4. *deûm*] i. e. deorum nomen clarius esse humano.

796.

Anth. II. 106. ex Lampridii Alexandro Severo c. 38. T. I. p. 955. Vulgaribus rhythmis ad formam Phalaeciorum factis hos versus adnumerat Santenius ad Terentianum p. 183. Notandum enim, longitudinem syllabae *es* in *vides* et *as* in *putas* propter vulgarem rhythmum non respici. — Epigrammatis his verbis rationem reddit Lampridius:

Et quoniam de lepusculis facta est mentio, quod ille leporem cottidie haberet, iocus poeticus emersit, idcirco quod multi septem diebus pulchros esse dicunt eos, qui leporem comederint.

2. *quem Syrum*] *quod Syrum detulit propago* mss. *quem de Syria detulit propago* Salmas. *Pulchrum quod Syra detulit propago* Obrecht.

4. *de quo*] mss. *ideoque* ed. princeps. *ex quo* vulgo. Lusus est in verbis: ex lepore oritur lepor.

797.

Anth. II. 107. Respondet Alexander Severus carmini praecedenti in eodem versuum genere.

6. *pulcher*] *pulcris* ms. Palatin. *Pulcris ne invideas livore mentis* Salm.

798.

Anth. II. 108. ex Capitolini Maximini c. 9. T. II. p. 27. *Mimus quidam in theatro praesente illo dicitur versus graecos dixisse, quorum haec erat latina sententia* etc. — Salmasius primum versum trochaicum, ceteros iambicos esse putat. Ego nullum in iis metrum inesse iudico, nec Capitolinus id consilium habuit. Quare hoc epigramma delendum erat.

1. *et qui*] *en qui* B. Si versus sunt trochaici, fortasse sic legendi erunt:

Et qui ab uno non potest occidi,
a multis occiditur.
Elephas grandis est: occiditur;
et leo fortis est: occiditur;
tigris fortis est: occiditur.
Singulos si non times, cave multos.

799.

Anth. II. 110. ex Capitolini Opilii Macrini c. 14. T. I. p. 769. *Opilium Macrum occiderunt cum puero suo Diadumeno, scilicet Antonino cognomine, de quo dictum est, quod in somnis Antoninus fuisset. Unde etiam versus extant huiusmodi* etc. *Et isti versus ex graeco translati sunt in latinum. Nam graece sunt disertissimi. videntur autem mihi ab aliquo poeta vulgari translati esse.*

3. *sed*] *nec* Salmasius.

5. *inde*] *inte* ms. Palat. *ante* mss. a. 2m.

6. *Pius*] Antoninus nominabatur *Marcus Antoninus Pius Verus.* Diadumenus M. Pius Antoninus dicebatur, sed Antoninus *Verus* non erat.

800.

Anth. II. 111. ex Capitolini Opilio Macrino c. 11. T. I. p. 763. *In eum epigramma illatum graeci cuiusdam poetae videtur extare, quod latine hac sententia continetur. — Hos versus nescio quis de Latinis iuxta eos, qui graeci erant propositi, in foro posuit: quibus acceptis Macrinus his versibus (*Ep. 459.*) respondisse fertur* etc. *His versibus Macrinus longe peioribus, quam illi latini sunt, respondisse se credidit, sed non minus est risui habitus, quam poeta ille, qui de graeco latine coactus est scribere.*

2. *inpius et felix*] „*Cum illum senatus* ***Pium*** *ac* ***Felicem*** *nuncupasset, Felicis nomen recepit, Pii habere noluit.*" Capitolinus. Inpius, ergo valet *non Pius.*

sic] *hic* Obrecht.

5. *dicique viderique: imp.*] mss. prob. Salmasio. *dici atque videri: Cui imperium infelix* vulgo.

801.

Anth. II. 112. ex Capitolini Opilio Macrino c. 11.

1. *tetulissent*] mss. *retulissent* vulgo.

2. *Latinus*] prima longa.

gabalus] i. e. homo cruce dignus.

3. *magno*] *magno mihi* h. imperatori. Casaub. *mango* B. recte: alioqui enim oratio corrupta est.

802.

Edidi ex Vopisci Divo Aureliano c. 6. T. II. p. 428. „Nihil ad cognoscendam vulgaris rhythmi indolem deest cantatiunculae, in imperatorem Aurelianum factae, quam forma trochaica ex sententia propemodum constitui Muratorii Dissert. 40. p. 673. D." Santenius ad Terentianum p. 184. Versus trochaici tetrametri catal., in quibus numerus quidem servatur, sed naturalis mensurae syllabarum non habetur ratio.

1. *mille mille*] Santenius.

Mille mille mille mille mille mille decollavimus.
Unus homo mille mille mille mille decollavimus.
Mille mille mille vivat, qui mille mille occidit.
Tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis.

vulgo.

Mille mille mille decollavimus,
unus homo mille decollavimus,
mille vivat, qui mille occidit.
Tantum vini habet nemo,
quantum fudit sanguinis.

mss. prob. Salmasio, qui saltatiunculam hanc in veros trochaicos redactam esse ab editoribus improbavit. In v. 3. dicit, pronuntiandum esse *Mil' vivat, qui mille occidit* et in sequenti carmine *Mil' Sarmatas, mille Francos*.

803.

Ex Vopisci Divo Aurel. c. 7. T. II. p. 428.

1. *Mille Francos*] edidi ex recensione Santenii ad Terent. p. 185.

Mille Francos, mille Sarmatas semel occidimus:
mille mille mille mille mille Persas quaerimus.

vulgo.

Mille Sarmatas, mille Francos
semel et semel occidimus.
Mille Persas quaerimus.

mss. prob. Salmasio.

804 — 807.

Anth. II. 100 — 103. ex Spartiani Pescennio Nigro c. 8. T. I. p. 664. Sunt oracula quaedam, partim Delphica, partim vaticinia.

808 et 809.

Anth. II. 104. 105. ex Lampridii Alexandro Severo c. 14. T. I. p. 899.

810.

Anth. II. 109. ex Spartiani Pescennio Nigro c. 12. T. I. p. 679.

1. *Egyptiaci*] prima brevi: similiter *prĕmium* pro praemio in epitaphio Maximi Olibii: *ne premium tanti depereat laticis*. Conf. Schneider. Lat. Elem. T. I. P. I. p. 55. Supra epigr. 325. *quĕsumus*.

2. *Thebaidos socius*] Thebais pars Aegypti, provinciae Romanae, erat, idque iam inde a temporibus Augusti, ut adnotavit Casaubonus.

3. *gentes*] ultima brevi, cuius generis vitia multa in vulgaribus poetis inveniuntur, cum accentu potius quam quantitate pedes metiantur. — *Hunc rex, hunc gens omnis amant*. Oudend. Cf. B. ad IV. 20, 16.

5. *formavimus*] *sacravimus* Pithoeus.

6. *metalle*] totum versum ex ms. Palat. dedi. *Metallus* pro metallum graecorum imitatione dicitur, deinde metallus pro lapide est, ut in Anth. II. 116, 19. Sic Salmasius. *ut consentirent forma metalla tibi* vulgo. *ut consentirent furva metalla tibi* Casaubon. Oudend.

811.

Anth. II. 113. ex Trebellii XXX Tyrannis, Aureolo c. 10. T. II. p. 279. *Extat etiam epigramma graecum in hanc formam.* *Dona etc.* *Hos ego versus a quodam grammatico translatos ita posui, ut fidem servarem, non quo melius non potuerint transferri, sed ut fidelitas historica servaretur.* Epigramma graecum legitur in Grutero p. 163. 2. et in Anthol. Palat. Iacobsii T. II. p. 827.

Κλαύδιος Αὐρεόλῳ μετὰ δῆριν ἄρσε Καῖσαρ
τὰ κτέρεα, θνητῶν δὲ θέμις, ἐνδίδωσι.
τῷ γ' ἄνσχαὶ ζωήν· ἀλλ' οὐκ ἐθέλησε φρόνημα
πᾶσιν ἐπιῤῥήτοις τοῦ στρατοῦ ἀντίβιον.
κεῖνος δ' οἰκτίρμων, καὶ σώματος ἔσχατ' ὀπίζων,
Αὐρεόλου γέφυραν στήσατο τήν τε ταφήν.

1. *Dona*] *Dono sepulcrorum victor post multa tyranni*
praelia iam felix Claudius Aureolum
munere prosequitur mortali et iure superstes.

Salmas.

victor] interfectus est Aureolus a Claudio a. Christi 268.

4. *amor militis*] *amor. Militis* vulgo. Veram interpunctionem iam Salmasius atque Cannegieter. Add. T. II. p. 718. restituere.

6. *et magis*] *Sed magis* Cannegieter.

812.

Ex Orellii Inscriptt. T. I. p. 201. n. 855. Conf. Atti dell' Accademia Romana Archeologica T. I. p. 616. Roma 1821.

3. *serenifico*] i. e. sereno.

4. *set*] *sei* (i. e. si) Niebuhr.

6. *Hadriani — pia secula*] *pia Hadriani secula* valent seculum Hadriani Antonini Pii. *Hadriani* trisyllabum est, ut ep. 467. *Marciani.*

verti] i. e. reverti.

8. *cautes*] ipsa saxa laetantur rediisse deos ac renovari prisca tempora. — *cantus* Orelli.

9. *sacra — signa*] Hoc ad Memnonem referendum est. Nieb.

Mamertino] Petronius Mamertinus, ad quem Frontonis epistola extat, cuius filio D. Marci filia nupsit. Nieb.

11. *Inachias — harenas*] i. e. Aegyptum. Sic exemplum Bailii. *INPACHLLAS* Gavius, unde Niebuhrius *inp[illegible]idas* coniecerat, antequam Bailii apographum cognosceret.

12. *templi*] in atrio Talmensis templi lapis fractus iacet.

813.

Ex Add. T. II. p. 719.

814.

Anth. II. 115. In Vaticana Collectione A. Maii p. 340.

1. *Theodosius*] sic lapis. *Theudosius* vulgo.

Tyranni] Maximi, qui a Symmacho quoque tyranni nomine significatur Epist. II. 31. Sic in calendario vetustissimo legitur ad mensem Octobrem *Isia. Evictio Tyranni.* Add. T. II. p. 718.

815.

Ex Add. T. II. p. 718. In Vaticana collectione Inscriptt. p. 328.

1. *Theodosii*] sic lapis. *Theudosii* B. Add. T. II. p. 719.

5. *tam cito — quisquam*] sic supplevit Etschlagerus apud Muratorium T. IV. p. 2011. n. 8. *tam cito tam stabilem Pallas vix conderet arcem*. A. Maius.

816.

Anth. II. 116. Inscriptt. Orellii n. 38.

1. *Patris*] Constantini.

6. *caesa*] *Caesar* Keysler Neueste Reisen p. 505.

9. *monebat*] Gruter. *moneret* vulgo.

13. *placido nexerunt aequora fluctu*] Gruter. Maius. *placido vecta est velocius Euro* vulgo. Pithoe. Orellius. Hoc supplementum abhorret ab adiectivo *placido*, quod animadvertens Eldickius altera interpolatione locum corrupit *rapido vecta est velocius Euro*. In Spec. Suspicionum p. 219.

14. *Tiberi*] Grut. Maius. *populo* vulgo. Orelli.

15. *Taporo*] Grut. Maius. *taetro* vulgo. Fulvius Ursinus. *Totila* Almeloveen. *Tauro* Ferretius. Scaliger intelligit Nepotianum, Constantini sororis filium, Constantii Chlori ex filia Eutropia nepotem, quem Tyrannum sub Constantio fuisse notum est. Alii, inter quos Orellius, Magnentium accipiunt, innitentes in Ammiano Marc. XVI. 10 et XVII. 4.

17. *spretum*] legendum videtur *spretum* int. donum. Valesius ad Ammian. XVII. 4. lacunam indicat *non fastu spret.. sed* etc. — *fastu spreto* Keysler.

19. *rufis*] Grut. *solidis* H. *rupes* B. idque probo, quia *avulsa* substantivum desiderat, ad quod referatur. Aliter enim oratio vitiosa est.

20. *emicuit*] int. *tantae molis opus*.

23. *urbique locat*] male suppletum. *que* enim in *urbique* intelligi non potest. — *ubique* Keysler.

817.

Anth. II. 117. Vaticana collect. A. Maii p. 356.

2. *extinctis*] obeliscus dicit, se imperatoribus prioribus, erigere volentibus, restitisse, postea vero palmam victoriae Maximo tyranno interfecto tulisse, non amplius triginta diebus erectum Proclo praefecto Urbi. Hic obeliscus sub Theodosio Magno a. u. 1143. erectus est teste Marcellino in Chronico ap. Sirmondum Opp. T. II. p. 332. — *Extinctis tyrannis* est pro *extincto tyranno* i. e. Maximo, qui a Theodosio Magno et Valentiniano a. u. 1141. interfectus est. Valentinianus autem in inscriptione Gruteri p. CCLXXXV. 8. ob eamdem rem *extinctor tyrannorum* dicitur. Haec arcessivi ex adnotatione Val. Frankii in Inscriptt. Richteri p. 97. a. 1832. Berolini editis.

portare] *praestare* Fabricius.

3. *Theodosio*] sic lapis. *Theudosio* vulgo. Necesse non est, ut corrigas lapidem, etsi nomen sic pronuntiari debet, ut vulgo scribitur.

4. *ego domitusque*] Bondelmontius *victus secod* .: *mitusque* Dousa. *ego duobusque* Gyllius ex epigramm. graeco in Anth. Palat. Iac. T. X. p. 239. *victus duobusque* Iacobs. in Anth. Graec. T. XI. p. 255. — Val. Frank. Bondelmontii lectionem maiorem fidem habere iudicat, cum tunc temporis inscriptio, quae nunc prope extincta est, facile legeretur.

victus ego] int. *sum* ut Virg. Aen. III. 45. *Nam Polydorus ego.* Quare nec Burmanni emendatione *victus eo*, nec Gruteri *rursus sum* pro *superas* opus est.

5. *superas elatus*] vulgatam lect. confirmat Bondelmontius et Val. Frank. Similiter in epigr. 465. v. 18. *quod non crederet ullus, tantae molis opus superas consurgere in auras.* *sublime elatus* Gyllius. Iacobs. Ios. Hammer. *sublimes latus* Argolius. Katancsichius in Vet. Geograph. Istri Adcolarum T. II. p. 442. Gruteri lectionem expressit *rursus sum elatus.* — Schraderus transposuit versus:

Omnia Theudosio cedunt subolique perenni:
ter denis etc.
iudice sub Proclo superas elatus ad auras.
Difficilis etc.
iussus, et etc.

Add. B. T. II. p. 718.

818.

Ex Add. B. T. I. p. 730. De Marciano imperatore Graeco v. Schlosser. Univ. Uebers. d. a. W. T. III. P. III. p. 249.

1. *torumque*] torus der Pfuehl der Säule, ut ap. Vitruvium III. 5, 2 et 5. Schn. Cf. Frank.

2. *ter eius*] Sponius. *ter vovit* omisso *eius* Ios. Hammer. — Richterus magis etiam lacunosam inscriptionem exhibet:

hanc statuam Marciani
vovit quod Tatianus
opus.

Dexter ei B. frater eius Britannus quidam in Misc. Obs. Vol. III. T. II. p. 205. invito metro, Val. Frank. in Opere Inscriptt. Richteri pag. 102 sq. corrigit

ter Teius vovit quod Tatianus opus,

ita ut *Teius* sit bisyllabum, ut in versu primo *Marciani* trisyllabum. Ac fortasse Tatianus hic non ex Teo oriundus erat, sed *Teius Tatianus* intelligi potest, ut apud Gruterum *P. Teius Asclepius* et *P. Teius Ruffius.* Ac probabile est, Tatianum esse illum, qui a. u. 1219. a. Ch. 466. cum Leone primo, Marciani successore, consul fuit.

819.

Anth. II. 125.

820.

Anth. II. 131. Wernsd. Poet. T. II. p. 187 et 258. Argumentum idem narrat Augustinus De Civ. Dei II. 25., argumentum simile in bello Cinnano Livius Epit. 79. — *De malo belli civilis* ms. Voss. Lucano tribuit Scaliger, Wernsdorfius vero grammatico antiquo.

2. *signa gerens*] ms. Voss. Oudend. Add. T. II. p. 723., *quia odiosissimum Romanis, quod Parthorum et Orientalium populorum signa viderentur in castris inter signa Romana.* — *bella gerens* vulgo. *tela ferens* H. *bella ferens* Wakef. ad Lucret. III. 847.

6. *fuit*] *ruit* H.

11. *socerum ille*] ms. Voss. *socerumque* vulgo. *socerumve* Oudend. Add. T. II. p. 723.

12. *erat*] ms. Voss. *erit* vulgo. *qui fuit, heu! sparsus s. c. erat* Oudend.

13. *a castris melioribus*] i. e. a castris Augusti, vel a partibus Augusti. — *e castris* Klotz.

14. *saltu*] i. e. Maevius insiliit in navem, quam demersurus erat. *saltus* ms. Voss. *hostilem in saltus* H.

17. *exuvias*] *exunus* ms. Voss.

18. *maesta*] *nota* Francius. Lipsius ad Tacit. Hist. III. 51. p. 220. inprob. Wernsd.

21. *cessas*] Lipsius. *cesses* vulgo. *cessem* ms. Voss.

24. *levanda*] *luenda* B.

29. *sic*] *si* ms. Voss. *qui* H.

31. *isdem*] *idem* ms. Voss.

33. *maculato*] Lipsius. Oudend. *iaculatus morte nefanda* ms. Voss. *maculatus caede n.* vulgo.

34. *moreris*] *memor eris* ms. Voss.

36. *victum*] *victam* ms. Voss.

condidit una manus] i. e. eadem manus victorem victumque confecit. — Seneca ep. 83. *Alexandrum intemperantia bibendi et ille Herculaneus ac fatalis scyphus condidit.* — *conficit* B. Wernsd.

821.

Anth. II. 132. *Item de eodem* ms. Scal. A superiori non distinguit ms. Voss.

1. *furentis*] ms. Voss. *furentes* vulgo.

4. *vulnere*] ms. Voss. *sanguine* vulgo.

5. *scelus*] *senex* mss. Scal. Voss.

cruenta] *cruenti* ms. Voss.

12. *sic*] ms. Voss. *sit* vulgo. *fit* Francius.

13. *iam*] *tam* ms. Voss.

18. *sua*] *suo* ms. Voss.

20. *non*] *ne* H.

822.

Anth. II. 133. Senarius variis legationibus functus est, et auctus dignitate comitis privatarum a Theodorico rege Gothorum. *Senarii V. I. comitis patrimonii et patricii epitaphium.* inscribit Sirmondus ad Avitum Viennensem p. 32.

4. *vox legum*] Iuretus, quia id proprium de quaestore, cuius munus Senarius tenuit. *regum* vulgo.

5. *[illegible] orator*] i. e. legatus.

10. *strata*] *fracta* H.

13. *secans*] Pithoeus. *sequens* vulgo, quod in Add. T. II. p. 724, petens, proficiscens explicatur, ut apud Virg. *Italiam fato sequimur.*

823.

Anth. II. 140. In eodem, quo haec disticha leguntur, monumento haec inscriptio extat, quam ap. Orellium quoque T. I. n. 1151. invenimus. *Aniciae Faltoniae Probae, Amnios, Pincios, Aniciosque decoranti, consulis uxori, consulis filiae, consulum matri, Anicius Probinus V. C., consul ordinarius, et Anicius Probus V. C., quaestor candidatus, filii devincti maternis meritis dedicaverunt.* Oudendorpius utrumque distichon esse finem epigrammatum diversorum, quae fracto lapide perierunt, censet. Primum distichon ad filium Aniciae Faltoniae spectare videtur.

1. *consimiles*] i. e. ego haud dissimilis fratribus meis, qui trabeis consularibus ornati sunt, tertium munus, quod reliquum erat, accepi.

2. *deerant*] *derant* in lapide. v. Oudend. Descript. legat. Papenbr. p. 38. Bisyllabum enim pronuntiandum. *dederant* Gruter. inprob. A. Maio in Collect. Vatic. p. 292.

3. *persolvo*] *persolvit* Grut.

4. *dederat*] i. e. quae mater sanxerat [illegible].

824.

Anth. II. 138. Epitaphium Elpidis, uxoris Boethii, esse crediderunt Pithoeus, Fabricius in Bibl. lat. T. III. p. 203. atque Torremuzza in Inscriptt. Siciliae p. 250. In ms. Perotti inscribitur *epitaphium uxoris Boetii Simmachi V. C. F.* Cum vero constet, uxorem Boethio philosopho supervixisse, Helpidem alterius Boethii coniugem esse indicat Burmannus.

1. *Helpis*] ms. Perotti. *Helpes* vulgo.

825.

Anth. II. 139. De Sexto Petronio Probo, viro ditissimo et omnium potentissimo, qui sub Gratiano imperatore princeps erat imperii, vide Schlosser. Univ. Uebers. d. alt. W. T. III. P. 3. p. 157.

1. *sublimes*] *sublimis* Ferret. Mus. Lapid. p. 213.

arces] *arcus* Barth.

3. *consulibus*] *consulibus proavis, soceris, se et consule maior,*
quod geminos consul reddidit ipse suo.
Barthius.

5. *tota*] *toto d. ab orbe* Ferret.

6. *in orbe*] *ubique* Ferret.

826.

Anth. II. 152.

6. *pueri brevitas*] i. e. adolescentia pueri. — *puero* vulgo.

8. *virtutes*] *virtutis* vulgo.

12. *vexit*] i. e. gessit.

827.

Anth. II. 154. Ataulphus rex Barcinone (Barcellona) occisus est a. C. 416 vel 417. Orosius VII. 43. Schlosser. Univ. Uebers. d. alt. Welt T. III. P. 3. p. 189. 193. 197. 199. Conf. Maiansius in epist. ad Burmannum T. II. p. V. sqq. et LII., qui epigramma fictum esse demonstrat.

5. *invidiosa*] *insidiosa* Heins.

6. *quos*] ms. Cyriaci. *quem* vulgo.

828.

Anth. II. 153. Choriambici dimetri hypercatal. Pithoeus Henrico secundo, non tertio inscribit, Burmannus vero Lothario imperatori, qui a. C. 855. diem obiit. *Versus in laudem Caesaris* ms. Tollii. *Virgilius in laudem Caesaris* ms. Heinsii.

7. *Leonis*] i. e. Brunonis, ante Spirensis, qui postea Romanus episcopus et anno V pontificatus obierat. Pithoeus.

829.

Anth. II. 141. L. Aradius Valerius Proculus sub Constantio proconsul Africae a. C. 340., eodemque anno consul cum Acindyno fuit.

3. *vice qui sacra*] i. e. iudex sacrarum cognitionum.

830.

Anth. II. 142.

collegium pistorum] Ferret. Mus. Lapid. p. 274. Grut. p. 361. *collegium suariorum* vulgo, ut in epigrammate superiori.

831.

Anth. II. 150.

1. *vota-bis deni-orbis*] i. e. vota vicennalia: Faventinus sacra taurobolii, quae post vigesimum quemque annum repeti solebant, suscipit. Vid. Salmasius ad Lampridii Heliog. c. 7. T. I. p. 804. *Orbis* pro anno ponitur, ut adnotat Schraderus Epist. crit. p. LXXVII.

suscipit] anno C. 376., ut ex inscriptione apparet, quam ex Grutero p. 27, 4. dedi, quamque uno loco correxit B. T. I. p. 32.

832.

Anth. II. 151.

833.

Anth. II. 172. Ovidio tribuitur in ms. Georgii Fabricii, Sulpicio Luperco a Ferretio.

1. *ferro*] *gladio* Bonifac. ms. Cyriaci Add. T. I. p. 736. *gladio tenerum* ms. Medic.

2. *et*] *hinc* mss. Medic. Moroni. *ut t. egrederetur* Scal.

egereretur] *egrediatur* ms. Medic. *egrederetur* ms. Moroni. Otho Frising. Add. T. II. p. 725. *egredietur* ms. Cyriaci Add. T. I. p. 736.

3. *procedant*] *testes procedant* mss. Medic. Mor. *accedant testes* Barth. Adv. 52, 1. — *Testetur cunctis me non violasse pudorem* Scalig. elegantius.

5. *producti pro me*] *producti mea* ms. Mor. In ms. Medic. deest hoc distichon.

6. *alter — alter*] *alit — alit* ms. Cyriaci Add. T. I. p. 736.

834.

Anth. II. 182.

2. *Homereo*] *Homeraeo* vulgo.

4. *et rudit*] *ludit et* B. *et stupet* Oudend.

835.

Anth. II. 183. Inscriptionem ex ms. Vossiano et Thuaneo sumsi.

2. *Hoc fatum*] *O fatum Troiae aut equus aut asinus* ms. Voss. *O fatum Troiae est aut equus aut asinus* ms. Thuan.

836.

Anth. II. 189. *Incipit tetrastichon Ovidii Nasonis carmen* ms. Petav. *Carmen Ovidii Nasonis tetrastichon* ms. Mentelianus. *Modestino* inscribit ed. Aldina.

2. *satis*] ms. Petav. *vitibus arboribusque, apibus pecorique satisque* vulgo.

12. *atque oleae, et ramos*] *et* adiecit Heyn.

13. *teque, Pales*] *teque Pales, dea pastorum memoranda* Oudend.

837.

Anth. II. 196.

2. *in flammas*] *in flammis* Wakef. Silv. Crit. V. p. 51. ad Evang. Matth. 14, 3. Ἔθετο ἐν φυλακῇ. *iam flammas moriens iussit et igne dari* ms. Voss. *iam flammis* Heins. *in flammas moriens iusserat ipse dari* B.

4. *ducum*] *tulit* ms. Voss. Add. T. II. p. 726.

838.

Anth. II. 228. *Epitaphium Marci Lucii* ms. Senecae, quem Heins. contulit. *epitaphium M. L. A. Senecae* ms. Medic. Io. Lamius spurium censebat inprobante Cannegietero Add. T. II. p. 727., et Burmanno ad lib. IV. 274, 8., qui ipsius Senecae esse affirmant.

3. *evocat*] *avocat* ms. Vossii. H. Illud defendit B. h. l. et ad IV. 29, 2., sed ad IV. 274, 8. citat *Me procul e terra deus avocat.*

3. *illicet actis rebus t.*] *astris* ms. Patav. *et licet* Chronicon Engelhusii. *terrenis rebus* mss. Voss. Medic. *ilicet, actum est* B. ut IV. 274, 8. *Actum est; excessi.*

5. *tamen*] *tenens* Io. Lamius Add. T. II. p. 727.

accipe] ms. Amstelod. vulgo. *excipe* mss. Voss. Patav. Medic.

6. *namque*] *iamque* Cannegiet.

839.

Anth. II. 229.

2. *hinc gener, inde socer*] ms. Lucani Sixianus. *hinc socer, inde gener.* vulgo.

4. *quae t. serpant*] ms. Lucani, olim Sixianus, prob. Fabricio Biblioth. lat. v. Lucanus. T. II. p. 529. — *Quae tractim serpit, plus mihi comma placet.* vulgo sine sensu. *Quod tractim serpit, plus mihi comma placet.* Heins., quod inprobo, quia *comma* audaces vel rapidas sententias significat, cum quibus illud *tractim serpit* omnino non convenit. Non amavi, ait Lucanus, in carminibus meis aequabili et lento genere uti orationis, quod ipsum Virgilio placuit; commata mihi gratiora sunt, vel sententiae luminosae aut fulmina orationis, quale illud: *Victrix causa deis placuit, at victa Catoni.*

6. *sapiet*] ms. Sixianus. *sapiat* vulgo.

840.

Anth. II. 231.

8. *Magnum*] i. e. Pompeium.

10. *bella qui vincit*] i. e. qui in bellis vincit.

841.

Anth. II. 233. Recens esse videtur.

1. *orsus*] Schrader. Add. T. I. p. 738. Iacobs. Spec. Emend. p. 78. — *casus* vulgo. *mox rursus Achillem occinit* Oudend.

Achillem] intellige Achilleidem.

3. *tali*] *thalia* ms. Moroni.

4. *blateret*] legendum *blacteret* vel *blatteret* ut in Anth. V. 143, 50. coll. Add. T. II. p. 699.

7. *Stellam*] i. e. Arruntium Stellam, cui librum Silvarum primum Statius inscripsit.

pariterque] B. *paritura* vulgo.

842.

Anth. II. 234.

2. *praeconem Aeneae*] i. e. Virgilium.

843.

Anth. II. 248. *De tribus amicis bonis* mss. Scalig. Voss.

2. *Herogenem*] *Herogenen* ms. Voss.

Geryonas] v. Iustinus XXXXIV. 4.

3. *putas*] ms. Voss. *putes* vulgo.

4. *in tribus unus*] ex Ovidii epist. 9, 92. Add. T. II. p. 728.

844.

Anth. II. 250. ex Suetonio de claris grammaticis c. 18. Helvius Cinna carmen suum inscripsit Smyrnam vel Zmyrnam, ut Spaldingius ad Quintil. X. 4, 4. existimat. Conf. Weichert. ad Poet. lat. reliquias p. 170.

845.

Anth. II. 220.

5. *quid*] *quid meretrix et leno doli quid fingat avarus.* Heins.

846.

Edidi ex Senecae epistola 89.

847.

Anth. II. 56. Nemausi in base, cui statua insederat. Apud Reinesium p. 613., Gruterum p. 653., Ferret. in Mus. Lapid. p. 146.

1. *patroni*] *Neroni fama barba* Ferr. *Neroni famam barba* Grut. *fabula non laedet* vel *invidia haud laedet* supplet Reinesius. *secula patroni famam non barbara laedent* B.

2. *libris*] *liberis* Ferret. Amissis liberis adoptavit Domitius Domitium Afrum Lucanum et Domitium Tullum fratres. *Plin. Ep.* VIII. 18. In hoc epigrammate testamentum Domitii memoratur, quod *Plinius* quoque l. l. et Quintilianus VI. 3, 92. citant.

adserit] *adserit imperium* Rein. *adserit omne decus* B.

3. *iunctos*] addit Ferr. Grut. *fratres* B. *natos* Rein. Deest vulgo.

4. *pari*] Ferr. Grut. *pio* Rein. Deest vulgo.

5. *posset*] Ferr. Grut. *possit* vulgo.

8. *tua*] Ferr. Grut. *sua* vulgo.

848.

Anth. II. 135. Recens esse hoc epitaphium Patavinum Millin monuit. (Voyage dans le Milanais T. II. p. 22.)

1. *Maeonia*] Millin. *Maeoniae et Latiae linguae* vulgo.

3. *ecquid*] Millin. *Et quid mors rapuit? probitas* vulgo.

ad auras] *ad astra* Schrader. Add. T. II. p. 724.

849.

Anth. II. 252.

1. *dictantes*] i. e. cum scripturae erant. *dictare* enim est scribere. *sectantes* Schrader.

4. *quam quos*] i. e. quam iis est, quos etc.

850.

Anth. II. 255.

1. *doctus*] *ductus* Barth. Adv. XIII. 2.

2. *ad leges et iura*] *ad caussas legesque* in edit. Curii Fortunatiani c. Fr. Pithoei p. 58.

artis] ars sicuti τέχνη a rhetoribus simpliciter pro arte rhetorica ponitur.

851.

Anth. II. 262. In mss. Voss. Scal. ab Anth. II. 261. non separatur.

4. *solidas*] Piersonus et Eldickius Add. T. II. p. 729. *calidas* vulgo. *Pharias* Heins. *stellis* Oudend. Add. T. II. p. 730.

5. *ingenio — nocet*] *ingeniom mors nulla manet.* Wakef. ad Lucret. I. 834. *ingenio mors nulla vacat, iacet undique tutum.* Tollius.

vagat] Oudend. *vacat* vulgo. *iacet* ms. Voss. *manet* Cannegieter. Add. T. II. p. 730. *viget* B.

852.

Anth. II. 263.

4. *coronis*] *ruinis* vel *lituris* B. *coronis* vulgo. Nec sinit fama scripta occumbere aeternis coronis i. e. fama, cum celebratur carminibus, numquam interire potest, quia immortalibus coronis ornata erit.

5. *ornat*] Oudend. *armat* vulgo.

853.

Anth. II. 265. *Etsi* sequioris aevi esse Burmannus iudicat, bonum est epigramma, quia acutam continet sententiam.

854.

Anth. II. 268. *De magistro nudi negligenti* ms. Voss.

1. *calculo*] i. e. ein Rechenmeister. *cavalo* mss. Scal. Voss. *canculo* ms. Thuan. *cauculo* ms. Pithoei.

4. *cessat*] *certat* ms. Thuan.

5. *proiectis*] *proiectus* ms. Thu.

Floralia] *floraria* ms. Salm.

6. *ludi rite*] *luridate* mss. Voss. Scal. *ludere te* ms. Salm.

habet] *habes* mss. Voss. Scal.

855.

Anth. II. 179.

856.

Anth. II. 180. ex Rustici ad Eucherium papam epistola, quam Sirmondus ad Sidonium p. 34. edidit. Hic Rusticus episcopus Burdegalensis erat a. 450. Cf. Fabricii Bibl. lat. med. et inf. aet. T. VI. p. 139. Nec tamen epigramma ipsius Rustici est, ut contextus epistolae docet.

857.

Anth. II. 181.

13. *pandas*] *paridas* ms. Voss. *pariles facit ire carinas* Oudend. Conf. Virg. Aen. V. 115. *Prima pares ineunt gravibus certamina remis Quatuor ex omni delectae classe carinae.* Pro quatuor curribus Homeri dat Virgilius totidem carinas. (Auf vier Wagen gibt er eben so viele Schiffe.)

858.

Anth. II. 184. Inscriptionem ms. Vossiani dedi. — ***Carmen Octaviani Caesaris Augusti de laudanda arte ac sublimanda per secula P. V. M.*** ms. Petavii. Colbertinus. *Octaviani Caesaris* ms. Thuan. Dorvillianus. *Valerio Martiali* inscribit ms. Vaticanus.

4. *scelus indignum*] *scelus hoc dignum* ms. Thu. Colbert.

littera dives] *littera, Divi!* Heyn. *littera ab igne* Klotz.

6. *flamma*] *Roma* Klotz.

servare decorem] *dictumque operi servabit amorem* ms. Colbert. *servabit amorem* ms. Thu.

11. *daret*] *pater* ms. Thu. Colbert.

12. *arva reformavit*] *arbuta formavit* ms. Thu. Colb.

15. *legum*] *longum est s. fides et s.* Colb.

16. *quod*] *quo* Colb. Thu.

17. *veneranda*] *reverenda* Thu. Colb.

18. *congestos*] *congestas* — *laboris* Thu. Colb.

19. *iussa*] *verba* Thu. Colb.

20. *amittant*] *amittat* Thu. Colb.

vigilasse suum] i. e. vigilias suas.

furenti] *superbum erravit in morte piger* Thu. Colb. *superbum erravit iam mente piger* Oudend. *suprema erravit iam morte dolor* Heyn.

25. *reddere poenas*] Heyn. *reddere voces* vulgo.

26. *post vulnera vulnus*] *post funera funus* Wakef. ad Lucret. III. 893.

Elissae] mss. *Elisae* vulgo.

27. *hoc opus*] *tam sacrum solvetur opus, tot bella, tot enses* Thu. Colb.

29. *huc huc*] *Huc huc Pierides date flumina cuncta sorores,*
et spirent ignes; vivat Maro ductus ubique
ingratusque sui studiorumque invidus orbi (*suis* Thu.)
et factus post fata nocens. Quod iusserat ille,
si vetuisse meum. satis est. post tempora vitae
immo sit aeternus tota resonante camena
carmen et in populo divi sub numine nomen
laudetur etc.

ms. Colb. Thuan.

32. *famaque*] Schrader. Add. T. I. p. 737. *flammaque* vulgo.

859.

Anth. II. 188.

11. *Manes et Ditis*] Schrader. Add. T. II. p. 726. *Ditis Manes et* vulgo.

860.

Anth. II. 191.

8. *bellum, et quos*] *et* addidit Heyn.

861.

Ex Add. T. II. p. 726.

862.

Anth. II. 192. *Versus Ovidii Nasonis de Virgilio incipiunt* ms. Petav. Voss. Aldus et Iunta omissa hac praefatione sub *Modestini iurisconsulti* nomine ediderunt. *Alius cuiusdam scholastici poetae argumenta in Aeneidem sub nomine Ovidii.* vulgo.

5. *prima*] an *parva?*

9. *crimine*] Tollius. *carmine* vulgo.

97. *Remulum*] Schrader. Add. T. II. p. 726. *Rutulum* vulgo.

115. *disiecta*] ms. Voss. *digesta* vulgo.

120. *minantur*] *minanti* ms. Voss. *minati* Oudend.

126. *Aenean — tardatum*] ms. Voss. *Aeneas volucri tardatur* vulgo.

863.

Anth. II. 193.

15. *regna*] *tecta* Heyn.

22. *ipsis*] *ipsa* B. idque recepi.

38. *conscivit*] *concivit* Heyn.

40. *proprio*] *propere* Oudend.

47. *Lausi*] *Laususque* Tollius. *Lausoque parentem adiecit* Heyn.

53. *vidisset*] *vidit cessisse Latinos* B. ex Anth. II. 194, 67.

864.

Anth. II. 199.

1. *qui cineres*] Bonada. Add. T. I. p. 737. *Quae cineris tumulo hoc vestigia?* vulgo.

865.

Anth. II. 202.

866.

Anth. II. 204.

867.

Anth. II. 205.

868.

Anth. II. 206.

869.

Anth. II. 176. *De morte Virgilii et Aeneide versus, adtributi Corn. Gallo, sed scholastici poetae: imitati ex Sulpicio Carthaginensi.* vulgo inscribitur. — *Gallo* tribuit ms. Vaticanus.

9. *Aeneamque suum*] *Aeneidemque suam* ms. Salmas. prob. Ouwens. in Noctt. Hag. p. 285. *Aeneamque tuum* Oudend. Add. T. II. p. 725. idque probo.

nuncius] *Mincius* ms. Salm. B. *Fac, Auguste, ut Virgilius, nuncius et praeco sui herois Aeneae, ipso suo heroe Aenea maior et*

celebrior evadat. M. Gesnerus Act. Erudit. 1748. p. 132.; qui lect. ms. Salmas. inprobat. Ego aliter explico: Fac, Auguste, ut Virgilius, qui Homero maior est, Aeneam tuum immortalem reddere possit.

possunt] *possint* ms. Gesnerus.

870.

Anth. II. 259. Schurzfleischius Eugenio tribuit hos versus, sed in Opusculis eius metricis non reperiuntur. Add. T. II. p. 729.

1. *occumbunt*] *occubuit* ms. Turicensis C. 58.

2. *Rufinus*] prima brevi, quae a Claudiano producitur. Add. T. I. p. 740.

3. *Brutus*] *tritus* ms. Tur.

4. *Graecus Atis*] *Medus Athis graecus Scaeva* ms. Tur.

6. *armiger at*] *armiger huic Scaeva* ms. T. *armigerus Scaeva* Douza.

7. *Scaeva*] deest in T. totus versus.

8. *minor*] post hunc versum sequitur in T.:

Scaeva frequenter Athis nonnumquam vixque Rufinus
ludes ille loquax hiebes hi neutrum.

9. *niger*] *nigerque* Douza.

11. *avarus*] *amore* mg. Pithoei. *amator* T.

13. *iure Rufinus*]. In ms. T. sequitur:

Scaeva Rufinus Athis bonus arcu, cestibus, armis.
voce R. etc.

871 — 875.

Ex Pithoeo recepi pag. 157.